

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Adam Osiander Johann Wolfgang Jäger Ernst Conrad Reinhardt

Disputatio Theologica De Satisfactione Christi

Tubingae: Reisius, 1675

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788078593>

Druck Freier  Zugang



54.

Fa-1092(54.)

1. Tractatus Theolog. de Praeceptis D. Holzfur.
2. De Jure Sabbathi. Stryk.
3. de Herba Borith. Jerem. 22.
4.

37
61
36
63
64
4.
33
31
3
29
2
46
559
558
16
17
18
19
20

2.
37.
61.
36.
63.
6.
64.
33.
31.
3.
29.
2.
56.
559.
558.
16.
17.
18.
19.
20.



DISPUTATIO THEOLOGICA

De

SATISFACTIO- NE CHRISTI,

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

Serenissimo ac Celsissimo Principe ac Domino, DOMINO

CAROLO MAXIMI- LIANO,

Duce Wirtembergiæ ac Tecciae,
Comite Montisbelgardi, Domino
in Heidenheim.

P R A E S I D E

Viro Admodum Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo
D O M I N O

JOHANNE ADAMO OSIAN- DRO, SS. Theol. Doct. & Prof. P.

Publicæ disquisitioni

Exponunt

Authores ejusdem

M. JOHANN - WOLFGANGUS JÄGER /
M. ERNESTUS CONRADUS REINHARDT /
Sereniss. Wirtemb. Principum Informatores.

Ad Dies Martij,

T U B I N G A E ,

Typis JOHANN - HENRICI REISI,

A N N O M D C L X X V .

ОГЛАВЛЕНИЕ
И СОДЕРЖАНИЕ

ОБЩЕГО МАСТЕРСТВА
ВОЛХВАНИЯ

САМОУЧКАМ ОДНОЙ
ЛЮБИТЕЛИ

ДЛЯ ПРИЧУПЛЕНІЯ К ТЕКСТУ
СОВЪЕМЪ ВЪЛХВАНИЯ

СОВЪЕМЪ ВЪЛХВАНИЯ
СОВЪЕМЪ ВЪЛХВАНИЯ

70
69.
68.
67.
66.**PRÆFATIO.**

Non miraberis, Ben. Lector, si in opulenta Materia de Satisfactione Christi exangues forte paginas comprehendes. Ultrò enim fatemur, nec Authoribus suis undiquaque hunc laborem placere. Alia hiare, protuberare alia. At nec causas difficulter pro defensione conquirimus. Quintus propè jam annus est, ex quo Seren. Wirtemb. Principum Spei admoti nostri esse desimus. Traetis per varia literarum Studia, veluti umbris ancillantibus, sua corpora sequendum erat. Per nullum verò minus, quam quod apices illos & sublimia Theologiæ fastigia ascendit. Laboris insuper plus satis habuimus. Notum hoc iis est, quibus in pariliarena Sudor stetit. Proin, quod reliquum ex officio erat fessis animis tempus, vix sufficiebat ad Spiritus revocandos. Ipsa, ipsa aula

52
59
6
K
K
6
59
52

aula, famosum Studiorum Exiliū, per solitos Stre-
 pitus ægrè speculationes illas admittebat, quæ non
 nisi per Silentia sustentantur. Reversis ad Aca-
 demiam aliquantò plus ansæ ad illud quasi Stu-
 diorum postliminium datum, non tamen nisi per
 intervalla. Tentandum tamen aliquid erat, ne
 vel incassum olim literæ tractatæ; vel nunc ex in-
 frequenti Exercitio, tanquam optima Cote situm
 ingenia contraherent. Materiam, ut cernis, e-
 legimus de Satisfactione Christi: Non quod fors
 illam præbuisset, aut nimius sui æstimator Spir-
 itus, sed quia Grotii ingenium uti passim, ita hīc
 quoque admiramus. Primus ille aciem contra
 infaustum Faustum Socinum movit: Ausu tanto
 Viro digno, eventu dispari. Tām injusto enim
 nonnunquam agmine incessit, ut ipse bellator jani
 debellandus sit. In Methodo studiose diversi
 sumus, ut uterque aliquid habeat, quod dicat: al-
 ter pressius, & in thesi, alter liberalius, in propo-
 sitionibus. Tu interim, quisquis es, modicos
 & toties turbatos labores boni consule!

PARS PRIMA.

Satisfactionis vox satis quidem ampla est, multasque patitur significaciones, in genere tamen est vel Civilis vel Criminalis; Illa circa creditum, hæc circa delictum occupatur. Quare cum hæc vox ad Jura vel maxime pertineat, ejus quoque fontes, quantum instituto nostro deferviunt, examinandi sunt. Est autem *Satisfactionis Species* quædam *Solutionis*, & ab hac tanquam angustius quid à latiore distinctum, cum non dicantur ad convertentiam. Cæterum duplex datur *Solutio*, quædam enim *ipso facto* liberat, quædam non *ipso facto*. *Ipsa factio* liberat solutio rei plane ejusdem, quæ erat in obligatione. Perinde autem est, siue reus solvat, an alias pro eo, hoc animo ut ipse liberetur. Et hæc est strictè sic dicta *Solutio*. Alia verò quævis *Solutio* non *ipso facto* liberat, puta si aliud, quam quod in obligatione erat, solvatur: sed necesse est aliquem *Creditoris* aut *Rectoris* actum intercedere, qui usitate *remissio* appellatur. Talis autem *Solutio*, quæ aut admitti aut recusari potest, admissa, speciale sortiri nomen solet *Satisfactionis*, & solutioni priori modo sumitæ opponitur. Neque tamen hoc sensu dici potest *Acceptatio*, quæ est solutio tantum imaginaria, & circa creditum occupatur; adeoque minus accuratè, in hæreticè à quibusdam Theologis actui justificationis applicatur. Sed est *Solutio* ab alio, non ab ipso debitore animo solvendi facta, ab ipso siue *Rectore* siue *Creditore* admissa. Quæ si debeatur ex contractu *Civilis*, ex delicto verò & rigore *Justitiae vindicatrixis*, *Criminalis* appellatur. Nobis nunc de posteriore sermo erit.

Hoc autem Vocabulum, quia secundum totidem Syllabas, non habetur in Scriptura Sacra, ob affinitatem tamen rei, quæ multis in locis & nominatim *Matth. 20. vers. 28.* *1. Timoth. 2. vs. 6.* *1. Job. 2. 2. 4. vers. 10.* &c. exprimitur, convenienter solutioni pro Rapina nostra à Christo factæ applicatur.

Termini æquipollentes in Scriptura Sacra usitati sunt supra *Synonymia*.

A *dicta*

Explicatio
Vocis.

69.
68.
67.
66.

6
6
59
52

dicta solutio *Psalm. 69. v. 6.* Redemptio. *Rom. 3. v. 24, 25.* Reconciliatio *Rom. 5. v. 10, 11.* &c. Quibus accensendum etiam Meritum, totidem quidem syllabis in Scriptura Sacra non expressum, priorum tamen omnium compendium. Neque enim arbitramur reale discrimen constituendum inter Meritum & Satisfactionem, ita ut distinctis actibus haec duo tribuantur, cum utrumque Premium Universae Christi obedientiae includat. Nec opus est minutatim hoc preciosissimum Premium confundere, ut uni parti liberatio à Morte, & adjudicatio injustitiae, alteri justitia adjudicatio, & acquisitio Vitæ tribuantur; Discrimen enim hoc non observant Patres & Dd. Ecclesie, sed promiscue hoc vice illius utuntur. Interim tamen non diffitemur, in modo loquendi nonnihil haec duo differre, cum illa ipsi Saro Sanctæ Trinitati, non nobis; licet pro nobis facta sit; hoc vero non ipsi Sacro Sanctæ Trinitati, sed nobis.

PRINCIPIUM Quod

Quod.

PRINCIPIUM Quo.

Principium Quod *Sc̄r̄p̄tor̄ esse, testis est non modo Scriptura Esiae 63. v. 3. 1. Timoth. 2. v. 5.* Sed & unanimis omnium Dd. etiam ex adversa parrestantium consensu, nec multa indiget probatione. Ut ut ratione *Originis, Ordinationis & Preparationis* omnibus SS. Trinitatis Personis sit communis, (siquidem omnes in eam unamiter conspirarunt) ratione *Executionis* tamen est Filio propria, vi pacti cum Deo Patre ab æterno initi, quod describirur *Esa. 53. v. 11.*

Ratio hoc confirmat, quæ docet omnes Actiones esse suppositorum, cœu ultimato ab iis denominatorum, quo referuntur etiam passiones, quia in genere Mortis pati est nonnunquam agere.

Principium Quo à nobis utraque natura assertur, Divina quidem *Originale & Formale*, Humana *Organicum* ex Virtute Divina per unionem Personalem sibi communicata ages. Docet hoc S. Scriptura, Operationes Theandricas modo concreto Divinæ, ut *1. Job. 3. v. 8. Rom. 8. v. 3.* modo humanæ naturæ tribuens, *Genes. 3. v. 15. Luc. 9. v. 5. 6.* Formula Concordia in artic. de Persona Christi p. 308. aperte dicit: Satisfecit autem Christus non in, cum aut per unam, sed in, cum, per & secundum ultramque naturam, divinam non minus quam humanam, *Concordia Oecumenica, Chalcedonense*, rotunde his verbis: Agit utraque

3.

utraque forma, id est, utraque natura, cum alterius communi-
nione, quod proprium est, verbo sc. Operante, quod verbi est,
& carne exequente, quod carnis est. Notanter autem forma ap-
pellatur hic utraque Natura, cum sicut in Physicis illa Operatio-
num suarum **Principium Quo**, ita & hæc in Operibus Theandri-
cis sit. Duplicis autem generis sunt actiones illæ Christi. II-
num, quod Deitas sine carne producere nequit, ut *mors vivificans*,
effusio sanguinis emundans ab omni peccato, &c. Alterum ad
quod perficiendum λόγος ex libera Voluntate, carnem adhibet, ut
miraculose sanationes, dissolutio Operum Diaboli, &c. De priori-
bus sicuti non est dubium, ita ad posteriores actiones concurrit
utraque natura, licet diversimode. Ipsa quoque Satisfactione po-
test dupliciter considerari, aut ut actio Theandrica, quæ duabus
constat actionibus, docente Dionysio & Damasceno, aut ut ἀπ-
τέλεσμα quoddam, ex duabus potius perfectionibus quam actioni-
bus constans. Priori modo consideratur, quatenus humana pa-
tiente natura, divina Robur ei addidit, & vires, ne succumberet.
Hic enim duæ concurrunt Actiones, passio humanæ, & corroborati-
o illius divinæ Naturæ propria. Posteriori vero modo, quatenus
passio & mors est *infiniti valoris*. Neque enim sic ex duabus
actionibus componitur, sed ex passione & morte, quæ erat huma-
næ carnis, & ex infinito illo valore, qui est à dignitate Personæ,
citra realem & Physicam Actionem. Quocunque vero modo ac-
cipiatur, concurrit utraque natura ut Principium Quo, variante
duntaxat modo & respectu. Neque tamen humana Natura se pu-
re Instrumentaliter habet in Opere satisfactionis, eò quod causæ in-
strumentalis, ut contra distinguitur, Principali conditiones sunt,
Primò ut respiciat effectum nobiliorem se, hoc est, ut attingat ef-
fectum improportionatum & excedentem propriam Virtutem.
Secundò ut operetur tanquam motum à Principali agente, ita qui-
dem, ut nō motum dicat totam virtutem & rationem agendi.
Est enim ratio instrumenti ut sit **moyens motum**. Et Tertiò,
ut virtus principalis agentis habeat permanens, & completum
esse in Natura; Virtus autem Instrumentalis habeat esse transiens
ex Uno in aliud & incompletum sicut & motus est actus imper-
fectus ab agente in patiens. Sed hæc conditiones & imperfectio-

A 2

nes

nes omnes hic exultant. Ut ut enim Natura humana agat ex virtute communicata, communicatio tamen illa *primo est reciproca*. *Secundo* fit per intimam circummissionem; *Tertio* est formalis non effectiva; *Quarto* est perpetua & indissolubilis. Ut ut etiam *divinitas* agere dicatur per humanitatem, aliter tamen agit quam per Sanctos alias & fideles, qui nec ipsi quidem Instrumenta nisi in laxiori significatu dici possunt. Posset denique utriusque Naturae tanquam Principii *Quo* cooperatio probari ex formalis ratione Officii Sacerdotalis, sive Mediatorii, sed ad alia pergendo brevitatis ergo his supersedeo.

*Objectum
CVI*

Objectum cui Theanthropos satisfecit non est Diabolus, captivum detinens. Is enim folium Minister Carceris & Justitiae Divinæ commentariensis erat, cui proinde nulla debebatur satisfactio, sed potius de eo ceu homicida erat supplicium sumendum. Verum propriè & verè tota Sacro Sancta Trinitas, adeoque cum Patre & Spiritu Sancto ipse Filius, qui in genere *Moris* & præcise qua *Frætus* satisfecit sibi ipsi in Genere Entis qua Deus & secundæ Trinitatis Personæ. Appropriative vero est Pater, fons & Origo totius Divinitatis, qui Judicis, ut Filius fequestri & reconciliatoris partes sustinuit, cui soli oportebat solvi lytrum, quia solus is atrocissimo locæ Majestatis crimine Iesus erat, solus insuper perdendi & dimittendi è carcere reum potestatem habebat. *Mattb. 10. vers. 8.* Spectandus hic non ut Judex inferior, qui alligatus est legibus, & ad præscriptam formulam judicare tenetur: Sed ut Judex aliquis supremus & Rector, ratione pœnæ quidem infinitum justitiae rigorem exigens, at ratione Personæ admirabile misericordiæ temperamentum adhibens. Quinam vero affectus in hoc opere Patris non Filii præponderet, merito dubitatur. Videtur tamen utriusque non adeo differre, cum hic animam suam dederit pro nobis, alter proprio Filio non pepererit propter nos. *Rom. 8. vers. 32.* & una fuerit utriusque reconciliationis conficiendæ voluntas, sicuti unica est natura & essentia, sed modus executionis, ut personæ inter se distinctæ sunt, distinctus est.

*Pro Quo
Reale &
Personale*

Id vero pro quo Christus satisfecit, vel sub nomine rei vel sub nomine Personæ venit. Illud sunt omnia & singula delicta quo-

quocunque tempore perpetrata vel perpetrandā. Nec actualia
solum, tum commissionis, tum omissionis, tum venialia, tum
mortalia, sed vel maximè originale, reliquorum omnium fons &
origo. Redemit enim nos ab omnibus iniquitatibus. *Tit. 2. v.*
14. Sanguis Filii DEI emundat nos ab omni peccato i. Job. 1. v.
8. Sine ulla exceptione & determinatione, ne contumace quidem
impénitentia exclusa, quatenus illa adhuc in hac vita consistit,
janua nondum clausa, Matth. 25. vers. 10. Quod in primis exem-
plio illius latronis in ultima demum vitæ hora pœnitentis & pau-
lo post Paradisum ingressi elucet. Luc. 23. vers. 42. Est e-
nim hæc impénitentia irremissibilis non ob defectum causæ a-
gentis primæ, vel meritoriae, sed ratione formæ & quidditatis
luzæ, quæ cum finali impénitentia indivulso nexu conjuncta est.
Repugnaret etiam infinitudini valoris satisfactionis, si non ad o-
mnia peccata cuiuscunq; generis efficax foret. Hinc est quod
dicitur Rom. 5. vers. 2. Ibi amplificatum est peccatum, ibi super
*abundavit grætia; & quod sub onere isto gemat *Γεάργεων* &*
*dicat *Ezai. 43. vers. 12.* Me laborare fecisti in peccatis tuis &c.*
Neque verò satisfecit tantum pro peccatis, sed vel maximè pro
pœnis temporalibus & æternis. Ut enim duplex erat malum,
culpæ sc. & pœnæ: ita pro utroque erat satisfaciendum, ut ju-
stitiæ D E I exactæ satisiceret. Temporales pœnæ fuerunt i-
stæ miseræ, infirmitates, dolores, cruciatus, ignominiæ, quas Chri-
stus toto exinanitionis tempore patientissime sustinuit. Verè e-
*nim languores nostros tulit, & dolores nostros bajulavit, *Esa. 53.**
vers. 4. 8. ubi per languores istos ægritudo quidem animi & cor-
poris, sed maximè corporis vi Vocis originariæ denotatur. Et
quamvis Personalibus morbis, v. gr. febri, podagra, doloribus
calculi nunquam fuerit colluctatus, communib; tamen infirmita-
tibus in Genere fuit per Voluntariam Oeconomiam subjectus, jux-
*ta illud *Hebr. 4. vers. 15.* Tentatus est per omnia sicut nos. *Æ-**
ternas verò pœnas maximè probant cruciatus animæ, ineffabilis
*illa tristitia, & angor animi, cum coepit *ἐνθυμίσεις* *Marc. 14.**
*vers. 33. *λυπήσασθαι* ἐδημονεῖ *Matth. 26. vers. 37.* Hæc enim*
verba Christo in Agonia posito tribuuntur ab Evangelistis, remo-
ta tamen & repurgata omni peccabili imperfectione, ad motum

horroris vehementissimum, in anima Christi, ex magnitudine
 non tantum peccatorum ipsi impositorum, sed & pñnarum pro
 peccatis tolerandarum in primis spiritualium atrocitate confor-
 gentem significandum. Non potest enim non magnum aliquod
 & in explicabile angoris spectaculum exprimi, dum duo illa ver-
 ha conjunguntur. Alias Christus qui tamen ~~γερωπός~~, omnibus
 martyribus fuisse longè inferior, quippe qui ad mortem tanquam
 ad epulas cum tripudio accesserunt. Non itaque ob metum mortis
 temporalis, sed ob iram DEI, maledictionem legis & passiones
 infernales, quæ tanquam stipendium peccati huic atrocissimo pec-
 catori debebantur, Christus angorem istum stipendum sensit.
 Hinc etiam ut calix iste, vel passio transeat, & Deus alium Re-
 demptionis modum pro summa sua sapientia inveniat, hypotheticè si
 fieri posset, Voluntatem suam Voluntati Patris subordinando, ~~εκ-~~
~~τέσσερον~~ flagitat. In primis autem infernalium pñnarum sensum
 probat derelictio ista extrema, cum voce magna clamavit: Deus
 meus Deus meus, ut quid dereliquisti me. Matth. 27. v. 4. 6. Que-
 ritur enim de tali derelictionis gradu, quo sub universa mole
 peccatorum generis humani, & in torculari iræ Divinæ positus,
 agnoscens se esse naturalem & verum DEI Filium, omni Cœle-
 sti Majestate plenum, non tamen ejus vim atque efficaciam, &
 illam Divini roboris cohabitantis jucunditatem, sibi sentire visus
 est, quam alias sensit, sed D E U M Patrem velut aversum à se-
 se & indesinente atque rigorosum peccatorum vindicem exper-
 tus est. De ea derelictione quoad rem loquitur, in quam genus
 humanum incidisset suo merito, nisi divina intercessisset miseri-
 cordia. Ea vero non est sola ad externas pñnas projectio, sed
 maximè internarum spiritualium & supernaturalium animæ pñ-
 narum infiatio. Dicimus quoad rem. Nam adjunctum tem-
 poris quod attinet, quod apud homines æternum fuisse, ipsa Ma-
 jestate & Excellentia Personæ pensatum est. Neque enim volu-
 mus quod Christus dolores infernales sustinerit in inferno, cum
 ibi triumphantis, non militantis more fuerit. Neque quod ratio-
 ne perpetuandi temporis sustinerit tales, licet enim hi ordina-
 riè perpetuitatem includant, tamen quia duratio separabilis est ab
 essentia rei, & Christo repugnabat æternum pati, intensive illos
 tolere.

toleraſſe dicimus. Hæc autem derelictio , quæ profundissimus gradus κερωτεω^ς est, ſicut & ipsa κέρατο^ς cum Unione Personalis non pugnat. Sicut enim derelictio Christi quoad corpus ad corporalium suppliciorum perpeſionem non fuit inconveniens unioni hypostaticæ, ſic etiam derelictio ejus quoad animam, ad spiritualium infernaliumque suppliciorum perpeſionem eidem non repugnat.

Ii pro quibus noster Salvator ſatisfecit, erant I. non ipſe *Christus*. Ita enim expreſſè Epift. ad Hebr. 7. vers. 26. 27. Talis nobis conveniebat Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus &c. qui non habet neceſſitatem, prius pro ſuis peccatis hostias offerre. Ipsi namque Personæ θεοβαπτί^ς ſublimitas & dignitas faciebat, ut nullo unquam merito opus habuerit. Nobis quidem per omnia ſimilis, ſed excepto peccato, quo ceſſante tanquam primo Objeto ceſſat ipta ſatisfactio reflexive conſiderata. Reclamat etiam finis Incarnationis & Redemtionis, qui Christum propter nos & noſtrā Salutem in mundum veniſſe, toties per Scripturam docet. Neque dicendum eſt, quod exinanitione ſua meruerit exaltationem, ut Psalm. 110. innuere videtur, concludens ita: Propterea exaltabit caput, vel Epift. ad Philipp. 2. vers. 9. Propter quod & Deus exaltavit illum. Hæc enim voces non ſemper denotant causam meritoriam, ſed eventum nonnunquam & conſecutionem. confer. Luc. 1. 35. vers. 24. 26. Eph. 4. v. 8. &c.

Nec ſecundò Angeli, cum ſtantes redēptione non egeant, lapsi redēntibiles non ſint, eo quod angelica natura à D E I Filio ad eorum redēptionem аſſumpta non ſit, Hebr. 2. vers. 16. Utrum autem аſſumi potuerit, adeoque redēntibiles fuerint, Scholasticis disputandum relinquimus.

Sed Primò Homines lapsi, iisque in universum omnes, non genera ſingulorum, ſed ſingula generum, ne dāminatis quidem exceptis. Diſta hic cumulare ſuperfluum foret. Unum inſtar omnium ſit classicum illud Job. 3. vers. 16. Sic D E U S dilexit mundum. Pro iis verò qui pereunt, & dāmantur, concludit in pri-mis illud 1. Petr. 2. vers. 1. Erant in vobis Magistri mendaces, qui introducunt ſectas perditionis, etiam Dominum, qui eos mercatus eſt abnegant, ſuperinducentes ſibi celerem perditionem. Quo quid clarius dici potest? Quod verò non omnes actu ſalventur u- niver-

niversalitati satisfactionis non obstat, sed tantum non absolutam esse concludit, hoc est certis mediis non alligatam. Aliud nimirum est acquisitionis, aliud applicatio, aliud jus ad Rem, aliud jus in Re.

MEDIUM

MEDIUM cuius interventu satisfactione praestita, est *Pretium Universae Christi obedientiae*. Satisfaciendum enim erat, ut supra dictum, pro utroque malo culpæ & pœnæ. Illud tollebat *Activa*, hoc *Passiva justitia*. Agendo culpam, patiendo pœnam sustulit. De illa Servator ipse ait, *Mattb. 5. vers. 17.* Ne existimare me venisse, ut dissolvam leges & Prophetas, non veni ut dissolvam, sed ut impleam. Hinc Christus *D e I Filius Galat. 4. vers. 4.* dicitur factus sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Nos autem sub lege eramus, non solum ratione maledictionis & pœnarum, sed & obedientiae, ergo & Christus hoc respectu nos ab eodem liberavit. De *Passiva* multis in locis testatur Scriptura, in primis *I. Petr. 1. v. 18.* Ubi expresse fit mentione *Precii*, comparatione humani cum divino instituta, hujusque præ illæ excellentia commendatur. Utramque vero conjungit *Divinus Psalter Psalm. 40. vers. 7. 8. 9.* Ubi exacta Voluntatis Divinæ impletio, quæ in utraque obedientia consistit, Christo adscribitur. *Conf. locis Hebr. 10. vers. 5.* Utrum autem duplex hæc *Obedientia* distinguatur, & quomodo, à Theologis nondum est decisum. Hoc quidem certum est, quod antiquiores & Patres non distinguant, sed pro Identitate stent; quod *Passivam Activam* non excludere sed includere dicant; quod *D. Bernhardus Satisfactionem Christi vocet Actionem Passivam, & Passionem Activam*, adeo ut in ultimis passionibus, tanquam in formalii sacrificii expiatory actu includatur etiam, quicquid innocentiae puritatis & sanctitatis actualis ex obedientia legi praestita in illius vita præcessit. Imò quod tanti meriti sit ejus plenissima *Satisfactione*, ut per illam in nobis *anæpsia* legis impleatur, *Rom. 8. vers. 4.* Nec solum à maledictione, morte & inferno liberemur, sed etiam adoptionem, benedictionem & hereditatem, liberorum simul & semel eodem actu consequamur. Hoc tamen non impedit, quin formalis aliqua differentia hic locum habere possit, & melioris discriminationis ergo unum ab altero præscindi, sicut alias *actio* & *passio*

-13718-

in Physicis distinguuntur, quamvis sint unus motus. Et Christus eo modo nobis acquisivit salutem, quo modo nobis erat promissa. Atqui sub conditione legis implendae nobis erat promissa, Ergo. Quiquid verò sit, manet nihilominus realis identitas, & à nullo Orthodoxorum disputatur, cum Passio & meritum promiscue dicantur, passioni & quæ ac impletioni Legis nomen Meriti in modo loquendi tribuatur.

Forma est totius debiti alieni à Mediatore libere suscepti ipsique in iudicio Divino imputati, *Solutio*, non solum ex divina acceptatione, sed etiam secundum se & ex valore intrinseco, tum ex Infinitate Personæ Satisfaciens, tum ex Communicatione Majestatis naturæ humanæ, per Unionem Personalem facta, redundantem, consummatissima. Probant Primò hoc omnia illa loca Scripturæ in quibus aperte mentio fit λύτρος, ut postea dicemus. Eiusmodi enim Redemptio est plenissima solutio, pro debito & culpa redimenda, ubi intercedit aliquod Precium. Et quamvis nos eramus sub obligatione, adeoque debitores, solutioni tamen etiam perfectissimæ non obstat, perinde enim est ad solutionem, sive reus sive sponsor rei nomine solvat. Nec aliqua hinc legis destructione, aut cessio de jure, sed admirandum justitiae & misericordiae Divinæ temperamentum argui potest. Multò minus acceptatio vel simplex liberatio, cum hi sint actus Reatoris aut Domini, non autem tertii intervenientis. Christus autem solvit ut tertius interveniens, & interpositus inter Dominum & debitores. Non est igitur hic nisi propriè dicta Solutio, & Satisfactio, Psalm. 49. vers. 5.

Probant Secundò illa dicta, quibus dicitur portasse peccata nostra, ut præprimis est illud Esajanum 53. ubi non tantum est: Verè languores nostros ipse tulit, quæ vox alias alicujus rei in se susceptionem, & quando de peccatis dicitur poenæ peccatis debitæ perlationem & passionem significat: Sed porrò significantius additur, & dolores nostros ipse portavit, quod idem est ac bajulare, onus ferre, aut transferre. Modus etiam portandi intimatur, quod scilicet vulneratus sit propter delicta nostra, & attritus propter scelera nostra, ut disciplina pacis nostræ esset supra eum, & nos livore ejus sanaremur. Genuinam verborum

70
69.
68.
67.
66.
65.
64.
63.
59.
58.

horum significationem accuratè explicat *Corp. Jansenius*: qui tollit, inquit, peccata mundi vel languores, dupliciter intelligi potest. *Primò* ut intelligatur peccata mundi tollere, quia in se recipit. Tollere enim dicimus onera, quæ nobis ipsis imponimus. *Secundò* intelligi potest, quia aufert ea. Utraque significatio hîc locum, habet in utroque loco, & conjungi potest, ut ideo dicatur tollere peccata vel languores nostros, quia illos in se suscipiens à nobis aufert & abolet. *Tertiò* denique illa dicta, quibus dicitur nos reconciliasse Patri suo per mortem suam, inquit ipse placamen & propitiatorium nostrum vocatur. *Rom. 3. vers. 25. 1. Job. 2. vers. 25.* *Rom. 5. vers. 10.* Reconciliatio enim dicit omnimodam offenditæ inter partem lædentem & læsam ablationem, quæ obtineri non potest, nisi parti læsæ fuerit satisfactum. Sic Magistratus post extortam rebellionem non fit propitius oppido alicui, nisi rebelles puniantur. Sic Deus etiam salvo jure suo nobis non potuit reconciliari sine prævia Solutione & vera Satisfactione. Hinc notanter dicitur in textu, nos reconciliasse in Sanguine suo, non per nudam peccatorum purgationem & gratuitam reatus ablationem, sed per realem auxilium interventionem. Nec solùm nos Deo reconciliati, sed & Deus nobis, quia idem in utroque sensus occurrit, & relationis mutuae natura hoc requirit, perinde enim est, si dicatur **D E U M** nobis reconciliatum esse, siue nos Deo. Sicut enim abalienatio fuit mutua, ita & reconciliatio. Verè itaque Christus pro nobis solvit & satisfecit, non solùm doctrina & exemplo sed maximè & univocè Virtute precii, non ut Martyr, sed ut Mediator.

F I N I S. Finis ex parte **D E I** est justitiae Divinæ misericordia temperatæ declaratio. Justitiam ostendit, quod peccata noluit, nec potuit impunita dimittere. Hinc *Rom. 3. vers. 5.* dicitur, Christum constituit Deus placamen in sanguine ipsius ad declarationem justitiae suæ. Est enim **D E U S** Zelotes, qui ex natura sua omne peccatum odit *Psalm. 5.* cui ex natura debetur supplicium & pena, quo negato, negatur ipsa Deitas. Neque peccatum vel ejus pena dependet à Voluntate Divina, sed à sanctitate seu regula, quæ tam necessaria & immutabilis est, quam voluntas libera. Misericordiam ostendit, dum Filio unico non pepercit, sed nostri loco

loco in mortem ignominiosissimam & horrendos cruciatus dedit; 69.
 Eo respicit Paulus Rom. 5. vers. 8. inquiens. Commendat Deus 68.
 charitatem suam erga nos, quod, cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Hinc emergit salutare illud *justitiae & misericordiae temperamentum*, quod tamen naturam divinam non evertit. Ita enim est Dei misericordia astraunda, ne ejus labefactetur justitia, & ita justitia, ne destruatur misericordia. Ex parte vero nostri est æterna redemptio, & impunitas. De illa 67.
Hebr. 9. vers. 12. Neque per sanguinem hircorum, & vitulorum, 66.
 sed per proprium sanguinem &c. æterna redēptione inventa. 65.
 Hanc exprimit *Ezias* amabili Pacis nomine, c. 53. vers. 5. Ubi enim pax, ibi cessat inimicitia cum sua radice, quod est peccatum, 64.
 nos inter Deum & homines dividens. Ubi vero non est peccatum, 63.
 neque est pena, adeoque liberatio. Quamvis autem remaneant calamitates, ex tamen non habent rationem penae, sed paternæ correctionis.

Durationis terminus à Quo est primum exinanitionis momentum. TERMINUS
à Quo
 Ex quo enim ponit ceperunt Messiae inimici ad scabellum pedum ejus, ex eo jam cepit Satisfactionem. Atqui à primo statim conceptionis momento. E. Dicitur quidem agnus occisus ab origine mundi, sed ratione valoris, non actualis oblationis; *Terminus ad quem* triduum mortis est, utpote quo ultima lytri satisfactorii portio soluta. Christus enim factus est obediens Patri suo usque ad mortem *Philipp. 2. vers. 8.* Huic vero non annumerandus est descensus ille Regius & triumphalis. Ut enim supponatur factus in illo triduo, & ante resurrectionem, non tamen amplius in forma servi, sed triumphantis de hostibus suis factus est.

Ex postis emergit nunc Satisfactionis *Definitio*, Quae est prior Sacerdotalis officii pars, qua Christus *Γεάθεων* Deo unitrino, pro omnibus omnium hominum peccatis in judicio Divino, post voluntariam interventionem sibi imputatis consummatissimæ obedientiae lytrum solvit, in justitiae & misericordiae Dei laudem & nostri redēptionem.

Paret hinc Primo satisfactionis Necesitas. Necessitatem hic non intelligo absolutissimam, ipsum Deum ad hoc munus adstringenter. Poterat enim Deus salva justitia humanum genus in miseria AFFECTIONES
NES

sua culpa contracta relinquere, sed subnixam æterno de redimento genere humano decreto. Hæc arcessitur Primi à justitia DEI essentiali vindicativa, vi cuius peccatum Adami non poterat non punire. Ita enim Angelus ille *Apoc. 16. vers. 4. 5.* Justus es Domine, qui eras, & qui eris, quod hæc judicaris. & *Apoc. 19. v. 2.* Justitia enim hæc non minus attributum DEI est ac aliud, profundamento habens Sanctitatem ejus, quod à Deo removere, esset ipsum DEUM removere.

Probat Secundò hanc necessitatem comminationis Veritas, quæ non erat fulgur aliquod ex pelvi, detestationem tantum peccati notans, citra vindicationem, sed ab ipsa veritate profectum. Ita vero se habet *Genes. 2. vers. 17.* Quocunque die comedederis, morte morieris. Aut igitur morte moriendum Adamo & omnibus ipsius posteris, & quidem morte triplici, potissimum vero æterna, post esum fructus vetiti, aut justitiae Divinæ *λύτρον λοτόποντον* erat persolvendum. Sed nec Adamo nec posteris ipsius morte, fuit moriendum, Ergo *λύτρον λοτόποντον* erat persolvendum. Hoc vero non aliud erat, nec convenienter esse poterat, quam Sanguis Filii DEI, qui unicè expiare valebat delicta nostra & iram Patris placare, ideoque necessarius. Sensit equidem quoad initium comminationis hujus effectum ipso statim transgressionis momento, Adam, gratiæ sc. habitualis amissionem, corporis undiquaque perfecti infirmitarem, & horribiles conscientiæ angores. At non tantum hoc, sed & complementum ejus Mors sc. extensivè æterna in obligatione erat, & illo ipso die subennda, ni sponsor interveniens, & pro tot pœnis jam tum cum cavens, illud sustulisset. Et, quamvis legis *ἀνεβασίαι* requirebat, ut ipsa illa Persona, quæ deliquerit, puniatur, cum nemo invitus debeat venire in partem pœnæ, qui culpæ affinis non fuerit, *δικαιοντα* tamen ejusdem admittebat, ut alius, qui se voluntariè substituebat, loco santis plecti posset, ipsique surrogari. Quod ipsum speciem habet relaxationis alicuius in lege factæ, sed revera nihil aliud est, quam insigne quoddam justitiae & misericordiae temperamentum, in uno eodemque Objecto, salva utriusque essentia exercitum.

Necessitatem hanc immediate excipit *Satisfactionis Veritas.* Si enim justitia DEI ita fuit rigorosa, ut nihil quicquam cesseret de jure

B.

jure suo , nec cedere potuerit , tunc utique verè fuit satisfactum .
Potest quidem Creditor alias remittere debitum citra ullam satisfactionem , sed dispar est ratio debiti pecuniarii & criminalis , ut infra latius explicabitur . Nec infringit veritatem Satisfactionis temperamenti ratio , quippe quod Personam solum non penam ipsam concernebat . Probant autem hanc sufficientissimè omnia loca superius jam in descriptione formæ allegata , quæ Christo tribuunt partim liberationem suorum à peccatis , quæ citra expiationem fieri nequit , Hebr . 22 . partim redēmptionem propriè dictam per interpositionem precii D eo exhibiti , quod Lytrum & antilytrum propriè significat , partim oblationem propitiatoriam & sacrificium piacularē pro peccatis , partim denique placationem Patris suā morte , & nostram cum ipso reconciliationem , quæ non simplici receptione in gratiam , sed debita satisfactione fieri debuit .
Probant hoc omnes illi actus Exinanitionis profundissimæ & Passionis acerbissimæ , quos Christus toto vitæ tempore , pro nobis & nostri loco sustinuit , de quibus supra . Christus enim idè in spirituales illas , horrendissimasque undas ebullientes tentationum infernaliū Psalm . 69 . versc . 17 . immersus est , ut in ipso suam contra nos vim amitterent , 1 . Corinth . 15 . vers . 54 . 55 . Derelictionis & desertionis divinæ sensum idè expertus , ut placaret D e u m , in perpetuum genus humanum derelictum , nisi Christi n a c r a y i intervenisset . Christus sanè multiplice ratione in summa Unitate & unione fuit cum D eo Patre , & tamen sublimi & incomprehensibili ratione quādam ad Derelictionis Divinæ sensum pertigit . Nisi dicamus Christum id reconciliandi cum D eo generis humani causa fuisse , solide mysterium hoc nunquam explicabimus . Sic & ἀγωνία in horto , quam comitabatur θελυτικα , ἀδημονικα , clamor flebilis , sudor Sanguineus , deprecatione calicis idè facta est , quia Christus pro nobis tulit actus irati D e i , quia penas nobis debitas supra tergum suum habuit , quia in eum incurserunt peccata nostra , quia ejus Pater in vindicatrix & purificatrix justitiae decretorio æstu non pepercit . Dicere autem tot & tanta solius documenti & demonstrationis causa esse facta , sapientiae & justitiae D e i non convenit . Fuit itaque Satisfactionis Christi vera & propriè sic dicta Satisfactionis , non solum bono sed

loco quoque nostro facta , adeoque vicaria & pœnalis , quicquid dicant adversarii.

*Patet hinc Tertiò Satisfactionis Sufficientia & Perfectio ; sive Personam resipicias satisfacientem , sive meritum ejus . Illa fuit Deus & homo perfectissimæ satisfactionis ideo author , quia in Officio Satisfactorio & Mediatorio utraque natura egit quod suum est , cum communicatione alterius , ut regula Concilii Calcedonensis habet . Et hoc maximè necessarium erat , cum nec nudus homo , nec purus Deus Satisfactioni in totum præstandæ sufficeret . Est etiam perfectissimæ satisfactionis ideo author , quia humanam naturam ad redemptionem generis humani in hypostasin infinitam assumptam ditavit divinis *auxiliis* , & excellentiis , ipsa Infinita Majestate , omnipotentia , omnisapientia : &c . Infinitas igitur satisfactionis non præcisè fuit ex Personæ dignitate , adeoque est extrinseca , sed potius intrinseca , & desumitur ab infinita dignitate Naturæ per Unionem cum Verbo Deificata , ita ut eatenus solum infinitas Personæ ad infinitatem meriti conferat , quatenus ex se per Unionem derivat infinitam dignitatem satisfactionis in naturam humanam , adeo ut si humana natura sola habituali Gratia sanctificaretur , meritum ejus infinitum non esset . Et hoc ipsimet adversarii fateri coguntur , utut complures contrarium defendant , & infinitatem Valoris dignitati Personæ attribuant . Ratione meriti fuisse sufficientem imò perfectissimam satisfactionem , exinde constat , quia adæquatum fuit Legis sanctioni , & æqualis eorum demeritis , non ex acceptantis gratia , aut per acceptilacionem , quæ solutio imaginaria est , sed ex meriti sufficientia & dignitate operis . Nec obest , quod æternitatem pœnæ extensivam non subierit ; sufficit enim quod æquivalentem sustinuerit , quæ æterna fuit tum subjectivè , tum objectivè , tum intensivè . Huc quoque vel maximè pertinet , quod illæ passiones fuerint infinitæ , non tantum in genere Moris ut falso Maresius & alii existimant , sed etiam in genere Entis , uti latius in sequentibus patebit . Nec tamen admittimus commune illud ex Clemente Scholasticorum dogma ; Unam sanguinis guttulam sufficiet redēptioni nostræ . Quamvis enim talis gutta habuerit Valorem infinitum subjectivè , non tamen habuit valorem Objectivum ex condignitate*

pœnæ

poenæ nobis debitæ , nec enim qualiscunque poena , sed mors & maledictio æterna debebatur peccato. Ut ut verò sit in se suffici-
entissima satisfactio , imò ita infinita , ut si decem adhuc mundi
essent , illis redimendis par esset , nihil tamen exinde ad Papam ,
vel Romanam Ecclesiam per Indulgentias peccatoribus distribu-
endum , quia beneficium hoc gratis omni non soli Ecclesiæ Roma-
næ est concreditum , ut Monopolium exinde facere possit. Nec
aliquid est superflui in satisfactione illa , sicut nec in Solis lu-
ce , quamvis & plenissimè luceat , & pluribus possit lucere , quam
revera lucet.

*Ex hac satisfactionis Perfectione & Sufficientia fluit deniq; ejus-
dem Unitas* , quæ non coadmittit vel Santos Mediatores , vel me-
rita humana , vel suffragia & Sacrificia , vel lavacra lustralia , &
purgatorium. Cujus enim Mediatio , cuius meritum , cuius Sa-
crificium infinitæ perfectionis est , qui sustinere mediationem hu-
manam & merita & sacrificia lavacra & lustralia poterit? Si quod
à justitia divina exigebatur , persolutum est est à Christo debitum ,
qua justitiae leget solvent *Sancti*? Si pax nobis universa , & salus
per Christum est acquisita , quo modo mereri sibi aliisve aude-
bunt Pontificii? Si Christus semel oblatus universi peccati subiit o-
nus , nunc verò æternum vivit , nunquam moritur , quâ temeri-
tate hodienum immolatur? Si solus Christi Sanguis facultate pol-
let medendi peccatis eorumque poenis , cur illa aquæ lustrali arro-
gatur Virtus? Hanc verò unitatem maximè stabilis Paulus , *1. Ti-
moth. 2. vers. 5.* cum dicit *Unus est Mediator inter Deum & ho-*
mines homo Christus Iesus. Ita tamen Mediationis Unitas as-
seritur , ut non excludatur naturæ dualitas ; Dicitur enim Media-
tor homo , qui hoc in loco non est concretum Naturæ sed Personæ.
Dicitur etiam Christus Iesus , quo ipso utraque natura apertè inti-
matur. Eleganter hoc exprimit August. libr. de Ovibus c. 12.
Divinitas sine humanitate non est Mediatrix , humanitas sine Di-
vinitate non est Mediatrix , sed inter divinitatem solam & huma-
nitatem solam mediatrix est humana divinitas , & divina huma-
nitas Christi. Adedique unitas hæc non opponitur duabus in Chri-
sto Naturis , sed aliis quæcumque extra illum reperiuntur. Nec
juvat hic cum Eccio distinguere inter Mediatorem Intercessionis
& Re-

demptionis. Cum Bellarmino inter Mediatorem, qui nullo alio Mediatore & inter illos qui alio indigent. Cum Coifero inter Mediatorem per Excellentiam & per participationem, cum Bécanio inter primarium & secundarium. Omnes enim hi Mediatores, quocunque nomine veniant, vel sunt planè impropriè tales, vel Unitati Mediatoris Christi officiunt, cum nulla actio Filio DEI propria, æquè ac divinitas, cadere in hominem utut sanctissimum possit. Præterea meretur Christus agendo & patiendo id, quod à Patre exactum nunquam ipse debebat. Debent verò quicquid agunt, quicquid patiuntur Sancti DEO, adeoque nil quicquam mereri, vel mediare inter DEUM & homines possunt.

PARS SECUNDA.

Explícata secundum causas suas Satisfactione, restat ut dicamus quam nam *χέιρ* sive *habitudinem* habeat DEUS in exigendis aut condonandis, imò etiam in aliū transferendis pœnis. Nimirum an procedat ex Jure Crediti & debiti, an ex Dominio absoluto, an verò agat ut Rector aliquis & Princeps, custos legum à se latarum, & justus Judge. Prius utrumq; Sociniani volunt, ut necessitatem satisfactionis destruant: qui enim vel ex Jure Dominii absoluti, vel ex Jure crediti agit, cītra omnem satisfactionem debitum remittere & condonare potest, & de suo IURE cedere. *Jus* enim *suum* uti per SE cuique persequi licet, ita & non persequi, ac de eo quantum libet remittere. Hæc enim *juris proprii ac Dominici natura est*. Posterior nos assumimus, & contendimus, non hīc *jus* aliquod in DEO concipendum esse, quod est *Qualitas quadam moralis*, alicui competens, ad aliquid justè agendum vel habendum, adeoque liberum; Sed esse iustitiam quandam Naturalem & Necessariam in DEO. Ita ut quam necesse est Rectorem & Principem inter homines, si custodem se Legum profiteatur, imò si velit securam & tranquillam esse Remp. & Boni Rectoris partes implere, sceleribus portam non aperire per conniventiam, tam necesse est DEUM supremum mundi Rectorem & Judicem, scelera hominum in genere uileisci nec impunita

nita dimittere. In hoc verò longe excellentior est Dei Justitia, quod illa *Essentialis* Deo est, & Clementiæ tamen non derogat. In Rectoribus Terrenis res aliter se habet. Nec enim illi condonant, citra aliquod justitiæ & legum detrimentum, & tamdiu leges dormire jubentur, quamdiu clementia in reos exercetur. At Deus ita condonat suis, ut id fiat citra læsionem vel imminutionem suæ justitiæ. Adèò ut justitia & clementia simul sint in Deo ut *prima qualitates* in corporibus simplicibus Elementorum *Purae* scilicet & in **Summo GRADU**: At in Vicariis Dei, hominibus, ut *primæ qualitates* in corporibus mixtis, in quibus altera alteri prædominatur eamque refringit. Atque hinc Cassiodorus bene dicit, Principem ad clementiæ commodum transilire interdum terminos æquitatis.

Uterque actus in Vicaria Christi pro peccatis hominum Satisfactione intercessit, stupendo prorsus & admirando modo; Nam & rigor Justitiæ Divinæ hic obvénit, quando peccatum non tantum non dimissum fuit inultum, sed & ad *æquilibrium Justitiæ Commutativa*, & proportionem in ea *Aritmeticam*, tantum pœnarum immissum, quantum in minis continebatur. Quocunque die comederis de arbore vetita, morte morieris. Ubi per unam speciem peccati, omne peccati Genus intelligendum venit, uti lex exprimit eadem clarius expressa: *Maledictus, qui non manferit in omnibus præceptis legis. Deuter. 27. vers. 26.* Mortis autem & maledictionis nomine præcipue etiam intelligenda est Mors æterna. Perinde ergò erat, quasi in hunc modum lex fuisset concepta, omnis homo peccans peccatum ferat mortis æternæ.

Et clementia tamen fuit ostensa, primùm in admittenda *solatione* & *satisfactione aliena*, ad quam acceptandam tamen non tegebatur Deus, quam non tenetur quilibet Rector, Princeps, iudex & creditor admittere pro solutione id, quod non erat in obligatione. Strictè enim ita dicta solutio *Est rei debite Naturalis & Actualis præstatio*. Ubi autem haec non contingit, ibi necesse est, ut Rectoris aliquis Actus intercedat. Hic autem actus respectu legis est Relaxatio, ut ait Dorscheus, Pent. Disp. 7. pag. 263. sive dispensatio, respectu debitoris & rei remissio. Secundus autem clementiæ Divinæ Actus fuit, quando Medium ad satis-

faciendum ipse Deus invenit, imò de suo suppeditavit. Utrumque tamen ut dixi, citra omne justitiae suæ præjudicium, ita enim Paulus Rom. 3. vers. 24. & 25. *Justificamur gratis, gratia DEI, per redēctionem factam in CHRISTO IESU: quem proposuit Deus propitiatorum,* (quod Deus propitiatorium voluit propōnere, & hoc grātis ejus benevolentia tribuitur) ut demonstraret & justum ē esse, in vindicandis peccatis, & nova quadam ratione justificare homines, acceptata videlicet iisque imputata aliena satisfactione.

Notant qui de legum relaxatione scripserunt, eas esse optimas relaxations, quibus annexa est commutatio, sive compensatio, quia scilicet eo modo & legis Authoritas minimum perit, & rationi ei, quæ causa est legis, aliquatenus mos geritur, ut si qui rem teneatur solvere, precium persolvendo liberetur. Proxima enim sunt IDEM Et Tantundem. Sed de his suo loco. Nos ad clariorem rei tractationem sequentes ponimus Propositiones.

PROPOSITION I.

Deus in Exigendis pœnis non habet se se ut nudus creditor, qui de jure suo pro arbitrio possit cedere.

Creditor hic non dicitur qui fidem alterius sequitur sed paullò laxius, & describi solet, Cui ex qualibet causa aliquid debetur. Unde Socinus & complices existimant, quemadmodum Creditor contra justitiae leges non agit, condonando obligationem debitori, aut per λογισμὸν & gratuitam acceptationem Sumendo Quid pro Quo, DECEM pro CENTUM, ab ex hausto debitore; Ita Deum nulli facere injuriam, sive puniat, sive peccatum impunitum dimittat, siquidem de jure tantum Suo agi, nimirum proprio. Nos melius edocti Propositionem facile probamus contra hæreticos, ex ipsa Crediti & Pœnæ Natura. Nam suum donare, creditum remittere nunquam non per SE honestum est.

Pœnam

Pœnam verò remittere non saltem non honestum est, ut in extreme contumacibus & impenitentibus ipse fatetur Volkelius, sed etiam positivè infert iustitiam. Multum ergò differunt, jus crediti, & jus exigendi pœnam. De illo potest quispiam etiam cum laude & virtute cedere; de hoc non nisi cum Vitio & manifesta justitiae abdicatione. Et differentiæ ratio exinde constat, quod juris crediti proximum fundamentum est Relatio rei ad Personam; Pœnæ autem, Relatio rei ad rem, nimurum æqualitas delicti & pœnæ. Quam æqualitatem contra passum sive repassionem appellant.

Secundò Idem probamus ex peccati Natura. Nam aut cul-tus DEORUM alienorum, Parricidium, &c. habebunt aliquam tur-pitudinem, malitiam & demeritum intrinsecum ante omnem Voluntatem Divinam, aut non; Si prius, habebunt immutabilem aliquam regulam, ob cuius transgressionem, immutabilem & in-trinsecam habent deformitatem, malitiam & demeritum (Pec-catum enim omne est transgressio regulæ sive legis præfixæ) quæ nulla alia est, quam Essentialis D E I Sanctitas & Justitia, non aliquod jus Crediti. Si posterius, Idololatria parricidium, & quæcunque alia nefanda possent fieri bona ob eandem causam quia Deus velit. Imò si causa proxima in peccati demerito esset vo-luntas D E I, citra omnem impietatem D E U S autor dici posset, peccati; Si enim potest à peccato tollere demeritum, poterit etiam facere ut peccatum non sit peccatum, quod contradictorium est.

Tertiò sicut D E U S non potest non exigere obsequium, ita non potest non exigere pœnam. Obsequio deficiente, quæ in ejus locum necessario succedit. Aut si debitum pœnæ D E U S potest non exigere, pari ratione poterit non exigere debitum Obedien-tiæ.

Mitto alias rationes quas Grotius producit, nempe Jus cre-diti, sicut & Dominium comparatum esse ejus gratia, qui id habet, non ita Jus puniendi, eo quod hoc sit causa Communitatis.

Secundò de Jure Crediti cedere, habere sibi correspondentem Virtutem, Liberalitatem; Pœnæ verò remissionem, clementiam. vid. tr. de Sat. p. 45. longè ergò differre.

Non obstat autem propositioni nostræ, quod D E U S compa-

C 2 ratur

ratur Regi, pecuniam debitam servulo remittenti, nulla addita cu-
jusquam satisfactionis mentione; deinde quod nos consequenter
jubeamur idem facere, quod Deus; minimè vero nos oportet i-
ta in nos delinquentibus ignoscere, ut penas ab amicis eorum ex-
petamus. Facilis enim est responsio, comparationem non debere
ultra id tendi, quam quo respicit: quod in omni Argumento à simi-
litudine ducto observandum. Confert se Christus *furi*, nos vero
Quæstori de alieno largienti. Non quod aut ipse rem alienam sub-
trahat, invito domino, aut quod nos idem facere oporteat; sed se
quidem *furi*, quod improvisus superveniat; nos vero *Quæstori* isti,
quod nos de nostro facere oporteat, id, quod ille fecit de non suo.
Sic in ista Parabola *Matth. 18.* commendatur nobis benignitas in
proximum, quia Deus in nos benignus sit. In hoc convenient
Rex ille in Parabola & Deus, quod benigni sint in eos qui longè
infra se sunt positi. Hanc benignitatem testatur Deus, penas
remittendo: Rex ille remittendo pecuniam debitam. Ut aliud de-
bendi genus, ita & aliud remittendi est. Disconveniunt quidem in
eo Rex & Deus, quod Rex citra satisfactionem remittit; non ita
Deus. Sed in eo sita non est comparatio. Ratio quoque est alia.
Nam de credito, quod jus solum ad utilitatem Creditoris compara-
tum est, statuendi quisq; liberrimam habet potestatē, & quo minus
exigit, eo censetur liberalior. Exigendō autem nihil dignum lau-
de agit, nec virtutis actum exercet. At de pena aliter statuendum
est: cum enim Deus, aut Rector alius, penam exigit, virtute utitur,
quæ aliis dicitur *Justitia ærtu[m] dolu[n]t*, aliis expletrix, aliis Com-
mutativa, in specie sic dicta.

Ad alteram vero Parabolæ comparationem quod attinet, plus non indè exculpitur, nisi quod iniquum sit, ut rigidiores in
parem simus, quam Ipse nostri Conditor Deus in miseros ho-
munciones. Hinc sequitur, non debere nos magis vindictam ex-
petere, quam penam Deus expertat: Deus autem à pena nos li-
beravit; debet ergo & nobis abesse vindictæ Cupiditas. Quo-
modo autem istam liberationem peregerit, ibi non dicitur, nec ad
institutum pertinet. In eo enim non similitudo sed dissimilitudo.
Deus enim Judge est, nos privati. Judicis officio continetur pu-
niendi potestas & Exercitium. Privatis nec illud officium, nec
pote-

potestas , multò minus exercitium competit. Quod si nimium
prematur ista comparatio , sequeretur homines quoque Judices &
Rectores non debere à Sontibus ullis pœnas exposcere. Id quod
nec ipse vult Socinus & longè absurdissimum est.

PROPOSITIO II.

DEUS in puniendis aut remittendis delictis ,
non agit ex Jure Dominii absoluti.

UTT hoc Dominium absolutum stabiliant Adversarii : Tres velut
gradus faciunt Divinæ Potestatis. Primo dicunt, jus fuit Deo
creandi ac pro arbitrio formandi res quævis, estque etiam
num jus , res alias si ita lubeat producendi ac fingendi.

Hinc oritur alter potestatis gradus, *jus* nimirum res omnes tan-
quam proprias habendi & possidendi ; quod quidem est Domini-
um absolutum , in omnes res creatas. Nam opus quodvis qua-
tale est natura Opificis sui ; Et si id ex materia produxit , quæ
alieni juris non sit , aut prorsus ex nihilo extraxit , totum Opus
quantum quantum est , ipsius est . &c.

Tertius potestatis Divinæ gradus est *jus* rebus omnibus
pro arbitrio utendi. Qui enim absolutus est rei Dominus , illi
pro arbitrio ea uti semper licet. Atque hinc concludunt ; Jus il-
lud quod Deus in pœnis habeat , verè esse Dominicum ; cum
enim omnia quæ nobis præcipiat servis ac mancipiis suis , debea-
mus Deo naturali nostro Domino , eidem etiam nos debere
neglecti ministerii pœnas ; has autem libere Deum condonare aut
infigere. Quod si enim liberè homo condonet offensas , quidni
multò magis Deus ?

Verum enimverò , quamvis non negemus , Deum habere
in nos Dominium aliquod absolutum ex jure Creationis ; quod natu-
ra simus Servi Dei , adeò ut omnis Creatura Deo possit dice-
re , Omnia mea Tua sunt. Item ex Conservatione ; & quod possit
rebus omnibus creatis uti pro arbitrio : Semper tamen ita limita-
tum ceasimus , ut Justitia & Sanctitas pro norma sint & men-
tura.

fura. Nec enim, etiam qui absolutus est rei Dominus, ea potest uti, ultra quam dignitas & excellentia Naturæ intelligentis, sive id quod æquum est & justum, postulat, & interest Republica, ne quis sua re male utatur ut J U R A docent. Quare arbitrium ac Dominium Dei non latius extendi debet, quam Justitia, & quæ ejus quasi fundamentum est Sanctitas permittit. Nam potestas Jus Naturæ sua intra ea consistit, quæ licita sunt; Siquidem potestas est Jus: autem cum justitia pugnare non potest. Nunquam ergo Deus ita pro arbitrio creare potest quicquam, vel ad eum modum re creata uti, ut id à justitiae aut sapientiae lege discrepet ac dissentiat. Atque uti nulla legitima potestas plus vult sibi licere, quam honestum fuerit; ita Deus potestas individuali nexo cum ipsius sanctitate & justitia cohæret.

Secundò absonum est, referre poenam in jus aliquod *Absoluti Dominii*, cum poena Essentialis dicat respectum ad culpam, alioquin poena non esset poena sed injuria; culpa vero ad justitiam vindicativam, non ad Dominium aliquod *absolutum*.

Tertio Vanum prorsus est hic quererere, de absoluto Dei Dominio, & quid Deus absolute possit. Potius est ut quæramus, quomodo se in Verbo suo revelarit. Ita autem David. Psalm. 50. vers. 6. Annunciant Cœli justitiam ejus, quia Deus judex est; juxta Socinianos debuisset dicere Propheta, annunciant Cœli Dominium ejus absolutum, quia Deus judex. At David non ex aliqua absoluta potentia, sed justitia Deus iudicium ejus ponderat. Item quoties Scriptura Principium iræ Divinæ super peccata assignat, toties Odium Deus intrinsecum & naturale producit, non quod Deus sit sui juris, aut Dominus absolutus. Nunquam dicitur Deum posse peccata non odisse. Contra affectum illius erga iniquitatem satis luculenter expressum habemus Psalm. 5. vers. 5. & Psalm. 31. vers. 7. Psalm. 44. vers. 8. Zach. 8. v. 17. Neque dicas, Deus non nisi peccata, quæ cum pertinaci impenitentia sunt conjuncta, punire, reliqua vero, si poenitentia accedit gratis condonare, aut absolute remittere posse. Nam aliud non est Peccatum in se, & peccatum perseverans. Accidens tantum peccati est perseverentia; nec hæc punitur propriè & formaliter sed illud. Unus peccati Adamitici actus, videlicet commissio de arbore vetita, faciebat Adamum Mortis æternæ reum.

PRO-

PROPOSITIO III.

Justitia vindicativa DEO Essentialis est, atque adeò immutabilis.

Probatur PROP. Primo quia quod est naturalis περιτίθεως, illud est æternum ac immutabile. Atqui justitia DEI vindicativa est naturalis περιτίθεως. Ergo Justitia DEI est æterna & mutabilis.

Min. prob. Quia ex eo Paulus Rom. 1. vers. 32. concludit, Gentiles esse ἀποκατεστάτοις, η ἀναπολογίστοις, quod dum natura noverint jus DEI vindicantis esse, reos pronunciare, qui sceleribus se polluunt, nihilominus reclamante hac naturali notitia Justitiae Divinæ, DEUM quem agnoverunt, non ut DEUM glorificaverint, sed potius contumelia affecerint. Rom. 1. vers. 32.

Secundò Si justitia vindicativa non esset in DEO essentialiter & immutabiliter, DEUS aliquando posset esse non justus. Atqui posterius absurdum esse patet; quia DEUS ferens legem moralem, sanctitatis & justitiae suæ luculentissimum typum Exod. 20. v. 5. dicit: Ego sum DEUS Zelotes visitans iniquitatem Parentum in filiis, usque ad tertiam & quartam generationem. Quam verè itaque Zelotes est, quam verè illas minas exequitur, quas etiam Deut. 27. repetiit. Maledictus qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in Lege, tam verè & immutabiliter justus judex est, tam impossibile est, DEUM posse non punire peccata.

Falsissimum autem est quod dicit Grotius in *Def. Fid. Cath. de Sat.* pag. 54. non metuendum esse ne DEI veracitati aliquid decedat, si minas omnes non adimpleat. Omnes enim minas quibus non adsit irrevocabilitatis signum, intelligendas esse, ex suape natura de jure comminantis ad relaxandum nihil immunitere.

Atque ab eodem fonte fluxit illud Volkelli, cum dicit, quamvis præmia à Legislatore promissa sub promissorum legem cadant, ut revocari non possent, sine consensu ejus, cui promissa sunt: In sanctionibus tamen penalibus rem ita se non habere. Non enim delin-

delinquentibus jus acquiri, verum *Jus suum* afferi illi, ad quem pœnae utilitas pertineat.

Falsissimum inquam hoc esse, patet tum ex eo, quod Cœlum prius & terra peritura sint, quam apex aliquis & vel minimus de lege pereat. *Luc. 16. v. 17. Matth. 5. v. 18.*

Tum ex *Veracitate Dei*, quæ sicut in *promissis* implendis est tenacissima, ita & in pœnis. Par enim & promissorum & minarum est fundamentum, Constantia nimurum in dictis & factis. Quod nec Simonidem fugit, cum justitiam definiret, quod ea non saltem debitum reddat, sed & verum dicat, & Platonici sœpè justitiam *ἀληθείας* appellarent.

Ceterum directè contra Propositionem facit, quod dicit Socinus *cap. 1. libr. 1. item libr. 8. cap. 1.* Justitiam *vindicativam* non residere in *Deo* per modum attributi intrinseci, eo quod sit effectus aliquis voluntatis ipsius, & consequenter planè liber. Respondemus autem. Punire utique esse effectum Voluntatis Divinæ: sed justitia illa, sive rectitudo & sanctitas ex qua nascuntur tum alia, tum pœnarum retributio est fundamentum illius voluntatis. Neque hæc duo pugnant, ut aliquid procedat à causa libera *Efficienter*, à necessaria *formaliter*: sic bonitatis Divinæ effectus est, Bona sua communicare. At hoc ante Creationem non fecit, intellige ad *Extra*. Ejusdem bonitatis est, pro fontibus admittere *satisfactionem alienam* & *vicariam*: media suppeditare quibus ex lapsu resurgere possunt. Sunt ergo quædam *Dei* proprietates, quarum Exercitum tum quoad Actum, tum quoad tempus & modum actus, imò etiam quoad *Objecti determinacionem*, pendet à libera ipsius voluntate, cui tamen semper præsidet sapientia, pro norma est sanctitas & justitia. Neque tamen quia Voluntarius est *Deo* proprietatum istarum Uſus, dici potest, quod planè Uſu se abdicare possit. Ita enim & voluntariè punit extremè contumaces, nec tamen impunitos planè dimittere potest, ut ipsem agnoscit Crellius & Sociniani.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Non est de Essentia pœnæ, relatio ad delictum proprium.

PAradoxon hoc merito videri potest, hoc ipso, quod frequens & recepta est Regula illa; **Noxam Caput sequi.** Sancimus, ajunt, Christiani Imperatores, ibi esse pœnam, ubi & noxa est. Deindè: Peccata igitur suos teneant Authores, nec ulterius progreddiatur metus, quam reperiatur delictum. Et ratio est ex Grotio *Libr. 2. de Jur. B. & P. cap. 21. p. 389.* Quia obligatio ad pœnam ex merito oritur, meritum autem est *Personale*, quippe ex voluntate ortum habens, qua nihil est magis nobis proprium, unde *avnegatior* vocatur. Justum est ait Philo eorum esse pœnas quorum sunt peccata; reprehendens morem quarundam gentium, quæ Tyrannorum aut proditorum infantes liberos morte puniebant. Idem Philo ait libro de Pietate §. 13. Haud scio an illum possit pejus induci institutum, quam si nec malos è bonis genitos sequatur pœna, nec honos habeatur bonis, qui ex malis Parentibus orti sunt. Alter lex quæ de suis actionibus quemque judicat, non ex cognatorum virtutibus laudat, aut ex eorundem vitiis punit.

Covarruvias per varia Exempla probat, DÆUM ex causis humano judicio latentibus ob alterius culpam alium & quidem innocentem afflixisse, pœnis tamen tantum temporalibus, & pro sua sententia citat Augustinum, *quest. 8. super Josuam.* Alexandrum Alensem *3. part. q. 41.* Thomam *2. 2. quest. 10. art. 4.* Card. à Turre Cremata *in cap. 11. 56. dñst.* Alphons. à Castro de justa hæret, punit. *lib. 2. cap. 11.*

De pœna æterna, aut temporali, quæ spiritualis sit negat. De humano judicio dicit, quod illud minimè possit imitari judicia divina, ut pro alterius peccatis & culpis innocentes corporis pœna affiantur. Tunc enim, inquit, licet hominibus divina judicia imitari, quando ea ex manifestis causis procedunt, at ubi ex

D occul-

occultis nobisque l*l*itentibus Divinum judicium instituitur res se-
cūs se habet. Nos quid de his sentiendum in sequentib⁹ dice mus:
nunc probamus Propositionem, & quidem Exemplo Christi Vadis
generis humani & Sponsoris.

Ipse enim Psalm. 69. dicit, *se soluisse quod non rapuerit*. Præ-
supponit Salvator suam à rapina Majestatis Divinæ omnimo-
dam *d̄uerēt̄ian*, seque esse *ānuuor* & à raptoribus, peccate-
ribus *κεχωριμένοις* Hebr. 7. vers. 26. & tamen *S E soluisse*. Sibi
à D eo omnes pœnas rapinæ omnium gravissimas infictas fu-
isse: *S E* tulisse horrenda illa Genera pœnarum *Eminenter*, quæ
designatoribus tanti flagitiæ *lex justitiae* Divinæ decreverit.

Per solutionem autem hic pœnalem actum intelligi patet *primo*
ex Natura vocabuli. Quotiescumque enim verbum hoc cum
rapina aut alio delicto conjungitur, ita ut illi opponatur, tum aut
impositionem Satisfactionis, & pœnæ judicio divino infictæ
designat; Aut notat *realem verissimam præstationem* & solutionem
eius, quod aut Satisfactionis pro debito præstandæ, aut Satisfactionis
pro delicto ferendæ vim habet.

Patet Secundò ex Affectu dicentis Christi. Affe^tus æstimari
potest ex Statu. Status autem erat, extremæ, profundissimæ,
& imperscrutabilis *exinanitionis* circumvallatæ densissimis crucia-
tibus & horroribus suppliciorum. Horum à se toleratorum cau-
sam in se meritoriam fuisse negat Christus. Non rapui! clamat
in illis angoribus quibus circumfusus fuit, se innocentem & im-
meritum ad horrenda illa supplicia pro rapina Divinæ Majestati
expianda trahi. Quo ipso Christus exprimere vult, se rapi ad
supplicium qui non rapuerit Majestatem supremam, ob cuius ta-
men raptum tentatum, & perpetratum, supplicium illi infligatur.
Se cogi ad solutionem, qui non contraxerit debitum aut culpam.

Probat Tertiò Analysis. Si secundum Socinianorum sen-
tentiam explicamus Dominicum hoc theorema, & solutionem
pro liberatione simplici usurpamus, talis emergit sensus: Ego
ob Personæ Eminentissimam Sanctitatem innocentia fulgeo pu-
rissima, neque ulla parte contaminatus sum, abominabili illa ra-
pina Divinæ Majestatis, qua Angeli desertores in Principio se
commacularunt, ad quam etiam homines excitarunt, & tamen
libe-

liberavi homines tum Evangelii annunciatione, tum Exempli luce à reatu illius rapinæ & pœnis. Quanto rectior & purior fluit hæc explicatio. Ego quidem in mea Persona atrox illud factum rapinæ Divinæ Majestatis non commisi, adeoque onus luendi, expiandi & satisfaciendi pro isthoc facto excutere possem, & de rigore justitiae nunquam suscipere potuissim, tamen onus illud recepi, luo, expio, solvo, satisfacio.

Non autem Solutionem fuisse *imaginariam*, patet, quia ubi datur *debitum reale*, & verissimum, ad veram solutionem ex Natura sua obligans, ibi non habet locum *imaginaria* solutio. Atqui hic tale debitum est, nempe rapinæ reatus verissimæ, mali-
tiosa & temeraria subtræctio obedientiæ D E O debita, & affecta-
tio Deiformitatis. Ergò. Deindè acceptilatio, quæ est *imaginaria*
Solutio, respectu debiti aut culpæ, est actus creditoris, Rectoris
& Domini, non autem tertii intervenientis. Christus autem hoc
loco dicitur solvisse, tanquam tertius interveniens, & interpositus
inter Dominum & debitores.

Hæc tenus de Exemplo CHRISTI. In pœna pecuniaria, quod non *essentiale* sit ut ille qui deliquit, puniatur res est manifesta. **Satisdatorem pro reo pœna plebi pecuniaria ait Ulpianus.** In pœnam furti rectè accipi fidejussorem ait Cajus. quia pœnam ob maleficia solvi magna ratio suadeat. An verò idein procedat in pœnis corporis afflictivis, in foro puta humano, res est difficilior Nobis negativa placet.

Apud Persas quidem antiquitus ob unius noxam peribat tota propinquitas, teste *Ammiano Marcellino*, & vestigia extant in Scriptura. Apud *Macedones* devota erant capita eorum, qui sanguine perduelles contingebant, Q. Curtio narrante. In Græciæ civitatibus mos fuit, cum tyrannis tyrannorum liberos occidi, uti *Dionysius Halicarnassus*, & Cicero notant. Et hic quidem sufficiebat Paganis pro justæ interfectionis causa sola *Personarum conjunctio*, crita omnem consensum.

Verum ea ipsa Persarum Lex laudato Marcellino dicitur abominanda, libr. 23. 31. Verba ejus ita se habent. Leges apud Persas impendio formidatae; inter quas diritate superant latæ contra ingratos & desertores: abominandæ alia, per quas ob no-

D 2 xam

xam unius omnis propinquitas perit. Nec mitior Lex Macedonum, quam etiam ut nimis rigidam & iniquam postea abrogavit Alexander Magnus: Unde Q. Curtius *libr. 6.c. 11.* ait, illum legem supplicii conjunctis sotium remisisse. Et *libr. 8. ad Hermolaum Alexander.* Olim illum morem occidendi cum scelestis infantes propinquos parentesque solvi.

Ubi verò **consensus** aliquis antecessit, justum omnino pugabant Gentiles, alium ob alterius delictum puniri. Ostendit hoc *Jus occidendorum Obsidum omnibus penè populis usitatum.* Thessali olim ducentos & quinquaginta obsides interfecerunt. Romani Volscorum trecentos fecuri percutserunt. Tarentinos dejeicerunt de *Saxo Tarpejo*, ut est apud Livium. Atque ita *Jus esse apud eos creditum fuit*; sic & in Capitalibus judiciis *Vades plecti* soliti, si rei se non sisterent, unde Græcis *ἀριθμούχοις* appellabantur: ut constat tum aliunde, tum ex nobili illa Damonis & Pythagoræ historia. At judicii illius fundamentum sed lubricum prorsus erat, quod credebant, unicuique homini non minorem esse potestatem in vitam suam quam in res alias, ut docet frequens atq; adeò decantata, apud Græcos Romanosque aliasque gentes *αὐτοκρατεία*, unde & illud in Tragedia. *Jus vitae & necis penes me est.*

Et quidem quod ad exemplum obsidum attinet, nescio qua ratione finis, quem in poenis infligendis sibi homines habere debet propositum obtineri queat, si plectatur innocens obses. Deinde adhuc dubium est, annè vita obsidum oppigneretur an verò duntaxat libertas. Sunt profecto, quibus verius videtur, civitatem directè obsidis duntaxat libertatem oppignerare. Ipsa enim civitas firmum debet habere propositum fidem servandi, adeòq; casum illum, quo in obsidis vitam alteri licentia fieri possit, moraliter pro nullo dicit. Nec dubium est, quin injuriam obsidi faciat civitas, si ipsa injustè pacta violet, & miserum illum alterius poenæ objiciat, aut si hoc fine eum tradat, ut alterum in securitatem datum, eo graviore damno afficere queat. Idem de *Vade* pronunciandum videtur. Talis enim Mors Vicaria, in foro humano illicita est, tum quia ut supradictum tanta potestas homini in propriam vitam neutquam competit, ut ex nudo consensu eam abjiciat, atque quod alter meritus est patiatur: tum quia hoc modo finis non obtinetur pecuniarum in Republ. nimirum delinquentem aut alium emendare. Nam neque

neque Vas deliquerit, neque actu suo demeritum delicti in se derivavit.

Quæ obiter haec tenus dicta sunt, satis probare, videntur, vix in iudicio humano alium pro alio pœna affici posse corporali scilicet. Et hoc etiam pertinent, quæ in limine statim propositionis dicta sunt. In Sententia Covarruviae negamus id, quod Deus innocentem qua talem pœna afficere possit, etiam temporali ob perpetuum nexum, qui est inter pœnam & culpam; Probamus; quod in iudiciis Divinis sœpè lateat culpa, ubi non latet pœna; quamvis pœnam semper & necessario antecedat culpa.

PROPOSITIO V.

DEUS non potest innocentem, quâ talem, punire.

Supponimus primò per innocentem hic non intelligi talem qui est in foro exterioni & humano, sed in foro divino & interiori.

Secundò per particulam restrictivam, *qua talis*, in qua omnis ferè controversiæ cardo vertitur, excludi exemplum Christi, ut qui pœnas subiit non ut innocens, sed ut peccator omnium quos Sol vidit maximus, *per substitutionem*, & *appropriationem*.

Tertiò expressè addi vocabulum pœnæ, & quidem propriè & rigorosè, tum ad excludendas afflictiones, tum pœnas materialiter ita dictas.

Nec Quartò quæstionem hic esse de pœnis pecuniariis, sed corporis afflictivis, latum enim inter has intercedit discriminè, ut in antecedente propositione jam est ostensum.

Firmatur autem hæc Propositio Primò *ex ipsa Scriptura*; Ita enim præceptum Divinum *Exod. 32. vers. 7.* habet. *Insontem & justum non occides.* Quod præceptum cum sit de re per se bona, ipsum Deus obligat; adde dictum *Ezech. 18. vers. 20.* *Anima quæ peccavit, morietur, neque Filius portabit iniquitates Patris*, ut & *Deut. 24. v. 16. 1. Par. c. 25. v. 4.* Quæ dicta omnia innocentibus immunitatem & impunitatem promittunt.

Secundò ex ratione, Actus enim punitionis, non est actus absoluti Dominii sed justitiae, ut supra probatum, adeoque semper dicit respectum ad præcedens aliquod demeritum, & culpam. Ubi vero innocentia & justitia, ibi exulat omnis culpa, & per consequens poena. Præterea passim in Scriptura Sacra longanimitas Dei & ad vindictam tarditas deprædicatur, adeo ut etiam, cum nocentes punit, alienum Opus, juxta Patres, facere dicatur: *Quis igitur, quod, cum justum est, alienum opus Dei appellatur, illicum in iustum videtur tanquam proprium assignabit.*

Tertiò ex omnium Morationum Gentium consenu. Agnoscent enim ipsæ ex solo rationis ductu, Deum punitorum mali & præmiatorem Boni, & quidvis aliud potius præsumunt, de Deo, quam ut crudelitatis, vel inclemencie Speciem ipsi affingant, immo palam testantur, quod universim nefas sit innocentem qua tales occidere.

Neque hic nos Grotii authoritas movet, qui tanquam absurdum in Socino reprehendit, quod dicat, innocentem punire repugnare justitiae Divinæ. Et quamvis in hypothesi pessimè erret Socinus, applicando hoc ad ipsum Christum, in thesi tamen verum dicit. Rationes autem Grotii sunt.

Primò ex Exodi cap. 15. vers. 5. & 34. vers. 4. ubi expressè dicitur, Deum visitare Parentum iniquitates in Filiis usqne ad tertiam & quartam generationem. Exinde concludit, cum legamus puniri aliquos non ob sua tantum peccata, quorum ratione nocentes sunt, sed insuper eis aliena, sequitur puniri illos qua non sunt nocentes, si autem ex parte aliquis puniri possit, qua non est nocens, quo minus & in totum poslit nihil obstare, cum partium & totius idem sit Jus eadem ratio.

Sed Resp. *Primò* Grotium gratis supponere, quod Filii qui puniuntur ob delicta paterna, puniantur quâ innocentes; si enim quâ tales punirentur, possent omnes ita puniri; quia à quatenus ad de omni legitima est apud Philosophos consequentia. Atqui Grotius ipse concedit, non posse à quolibet nec in quemlibet poenam istam exerceri, sed causam aliquam subesse debere, ut poena justa sit, quam triplicem ipse assignat eodem loco.

Secundò Resp. Aut sermo est de Filiis morigeris aut im-

morige-

morigeris; si de his , non puniuntur qua innocentes , sed qua no-
centes ; si de illis non est propriè pœna , sed paterna castigatio
dicenda.

Tertiò Resp. hoc dictum non loqui de peccatis promiscuè
talibus , sed gravioribus , alias in omnibus locum haberet exten-
sio illa pœnæ usque ad nepotes & abnepotes: hinc etiam gravi-
or est dictata pœna ; quæ cum tota ordinetur in supplicium
alterius , malum istud , quod infligitur filio ob delictum Parentis ,
non est pœna respectu Filii , propriè loquendo , sed saltem ratio-
ne illius in quem ordinatur.

Quartò In ipso textu assignatur ratio , quare D E U S puni-
at liberos ob delicta Parentum , quia scilicet sit Zelotes , & justus;
Objectum autem Zeli illius justi dicuntur illi , qui oderunt eum ,
adeoque non innocentes sed nocentes. Quod verò non in genere
de omnibus filiis sit intelligendum , hoc dictum , sed cum apposi-
to isto , patet exindè , quia D E U S aliás non posset præmiare ,
pios ex impiis oriundos , quod æquè promisit , iūd̄ promissionem
usque ad millesimam generationem extendit , quæ autem inde o-
raretur Confusio præmiorum & pœnarum ? Nam ponatur ex. gr.
parens quispiam impius , filius pius , nepotes impii. Hi nepo-
tes respectu avi essent pœna afficiendi , respectu patris verò præ-
mio , respectu suipius iterum pœna ; quam contradictorii verò
sunt hi respectus.

Secundò Objicit Grotius , ob factum Chami execrationi man-
datam totam Terram Canaan *Genef. 9. vers. 25.* adeoque unius
impietatem suffecisse , ad pœnas inferendas infinitæ posteritati de
peccato illo non participant , & quoad illud prorsus innocentia.

Sed Resp. **primò** non dici in textu terram Chanaan maledi-
ctioni esse mandatam , sed puerum Chanaan ; ubi notant Interpre-
tes tantopere execratum fuisse Spiritum S. per os Noæ loquentem
impium Chamum , ut ne nomen ejus exprimere dignatus fuerit.

Secundò quamvis per Chanaan posteri quoque intelligantur ,
non tamen in illos directa fuit maledictio , quæ innocentes , sed in
præscientia Divina nocentissimos; Patet hoc ex excidio gentibus
illis decreto , quod non tam ob paterna , quam propria delicta jam
temporibus Abrahæ erant promeriti , ut videre est *Gen. 18. v. 16.*

Deni-

60
69
68
67
66
6
59
58
52

Denique adducit exemplum Filiorum Sauli suspensorum, 2.
 Sam. 21. vers. 14. Ob factum Davidis 70. millia subditorum occisa, 2. Sam. 24. vers. 15. & 17. Ob factum Achani filios punitos Iosua 7. vers. 24. & ob factum Jeroboami posteritatem ipsius, 1. Reg. 14. vers. 10. Sed adhac exempla jamdudum respondit Excellentiss. Dn. Praeses, in Notis ad Grotium de Jur. Bell. & Pacis p. 1208. Ideoque Actum agere nolumus. In genere tamen notandum, nullum ex ipsis omnibus fundare innocentiam, neque contra nos aliquid firmi posse ex illis concludi. Quod autem Deus nunquam puniat innocentes qua tales vel maxime constat exinde, quia tales in conspectu Divino non dantur. Hinc dum dicitur nonunquam filios puniri ob delicta Parentum, tum haec quidem sunt occasio talis poenae Actu exercitae, quae sine his alias forte non fieret; fundamentum vero proximum & causa illius est vel peccatum proprium Actuale vel ad minimum Originale, à quo nemo excipitur. Itaque Deus semper habet cautam puniendi largissimam, Actum vero punitionis qui est liberrimus quoad horas & moras non semper exercet, sed pro libera providentia sue dispositione, aut, ut ita dicam, data Occasione. Quod autem de foro Divino dicimus, id multò magis de humano dicendum, cum Dominum Dei longè latius pateat, quam humanum, ut potest ab eo derivatum. Hinc obsidum occisio, si fiat sub ratione poenae injusta prorsus est, ut supra jam dictum est. Neque etiam licet in bello justo directè occidere innocentes, sed solum indirectè, quatenus scilicet Victoria aliter impetrari nequit, & tum occisio haec respectu innocentis non tam poena quam malum dicenda est. Imò ne bona quidem innocentum rapi possunt, nisi in tantum quantum necesse est, ad condignam compensationem faciendam. Ratio hujus est: Quia, sunt verba Molinæ, licet in bonis vitæ non efficiat civis unum quid cum Republ., ideoque haec non habeat jus in vitam civis, nisi ob delictum, non enim potest eum directè occidere, aut mutilare, ob ullam necessitatem; in bona tamen cuiuslibet civis habet Resp. Dominium, quod Hug. Grotio vocatur Eminens, ut in casu necessitatis possit ea directè accipere. Hoc autem jus transit in Victorem, quia ratione justæ victoriarum sit Dominus omnium illorum quae ad Rempl. victam, vel Regem devi-

devictum pertinebant. Ergo cum tunc ad satisfactionem pro expensis necessarium sit, ea bona etiam innocentis eripere, dicendum omnino est, id ipsi licere. Neque hinc sequitur puniri innocentem sine culpa, quia id non sit per modum pœnae, sed ad compensationem damni, vid. laudatus Molina, Arriaga, Didacus Lopez, Azorius & alii. De cetero non diffitemur, multos esse Theologos qui contrarium sentiunt. Nobis tamen ex prædictis rationibus stabilita sententia verior videtur.

PROPOSITIO VI.

Non fuit injustum, Christum ob peccata nostra puniri; idque ob vadimonium & voluntariam substitutionem.

Esse quidem *Essentiale pœnae*, ut infligatur ob peccatum, sed non item *essentiale ei esse*, ut infligatur delinquenti, supra diximus, & demonstravimus hoc ex ipso facto, pœnis nempe Christi, quas subiit pro peccatis totius generis humani. Quamvis igitur de *justitia facti* dubitari non possit, cum processerit à Deo justissimo & sanctissimo, à quo aliquid injustè fieri posse, siue grandi contumelias Venerandæ Majestatis dici non potest; Placet tamen altius in causas rei inquire, ut obturetur omne os Socino, qui *libr. 3.* saepè hoc argumento probare nititur, Christum vice nostri punitum non fuisse, eo quod nulla justa causa apparat cur Deus ita vellet.

Qui pœnam alterius in se suscipit *generaliter* sponsor, fidjus, qui corporalem *Vas* appellari solet. Unde Cicero de finibus *libr. 1.* ait. *Vadem te ad mortem* dabis pro amico. Idein *libr. 3. off.* Cum is (Pythagoreus) qui morti addicitus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset, *Vas* factus est alter, sistendi ejus, ut si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Est igitur *Vas*, qui alterius obligationem ad pœnam mortis in se suscipit atque ad eam sustinendam se astringit. Quare

E

ut

nt fidejussoris *obligatio accessoria est*, aliam alterius obligationem supponens, eique innitens, adeò ut sine ea, neque esse neque intelligi valeat: ita vadis quoque obligatio accessoria planè est, ab extrinseco adveniens, valido tamen ejus consensu ita in ipsum translata, ut ipse subeat poenam, non aliter quam si principaliter obligatus esset.

Ad valorem autem talis *consensus &*, exinde resultantis obligationis Duo præprimis requiruntur, *Ius & Vires*.

Hæc duo, si Judex in aliquo vade reperiat, justè ab eo exigere poenam ad mortem usque potest, non aliter quam à Principali reo. Quare an hæc in Christo locum habuerint videamus. Primo autem quod *Jus* habuerit nostras in se suscipiendi poenas, probant eruditii ex voce *Goal*, quæ quamvis interdum laxe sumatur, in proprio tamen significatu emphasis habet præ ceteris notabilem, quia non tantum redemtionem notat, sed & obligationem ad redimendum, ex consanguinitate ortam. Unde etiam Pineda in Comment. ad *Job. 30. vers. 25.* quinque conditiones Redemptoris propriæ sic dicti recenset, nimirum 1. Ut propinquus sit; 2. Consanguinitatis jure redimat, 3. Injusto possessori prædam eripiat. 4. Huic nullum premium persolvat. 5. Sanguinem ut lytrum verò Domino offerat. Confer. *Num. 35. v. 12. Lev. 25. v. 29. 33. Ruth. 3. v. 9. 12. 13. cap. 4. 1. 3. 6. 8.*

Cum ergò ad Christum Redemptorem nostrum adhibetur hæc vox, innuit I. Eadem incarnationem, quod Filius Dei propinquus noster factus, assumserit carnem & sanguinem, *Ebr. 2. v. 14. 15.*

II. Notat precii persolutionem, vox enim *Goal* proprio significatu lytrum infert.

III. Restitutionem, qua in libertatem afferuit nos, qui erramus sub potestate alterius, idque jure propinquitatis. *Job. 8. v. 36. Galat. 4. v. 4.*

IV. Redemtionem quod scil. precio dato sibi nos afferuerit, adeoque è manu inimicorum redemerit,

V. Spiritualem nostram pollutionem, quod captivitas nostra obtigerit ob immunditatem & pollutionem nostram, è qua ab hominibus pollutis nulla fieri poterat redemtio. *Esa. 54. v. 6. 1. Corintb. 6. v. 11.*

VI. Chri-

VI. Christi Surrogationem, quod ille tanquam vindicta noster nostri loco contaminari polluiq; voluerit, hoc est fortes nostras in se receperit, ut à pollutione nostra liberaremur, dum peccatum factus est pro nobis. 2. Corintb. 5. v. 21. & vestimenta ejus com-maculata sint, Esai. 63. &c. vid. Abr. Calov. in tr. de Satisf.

Huc pertinet etiam, ut, qui vadimonium suscepit, Dominus Vitæ suæ & membrorum sit, qui enim Dominium illud non habet, quomodo vitam suam alteri oppignerare poterit, quæ tam prorsus alieno juri subjecta est. At de se Christus dicit, Ego ἔχων hoc est Jus & potestatem habeo ponendi animam meam Job. 10. vers. 18.

De viribus **Sponsoris** nostri satis constat, quia erat Immanuel, & Ιησοῦς ἀπόστολος à fratre enim, qui Ιησοῦς ἀπόστολος non experientia poterat Vadimonium, & in peccatas infinitas successio. Psal. 49. vers. 8. 9.

De consensu & Voluntate Scriptura sufficienter testatur, eo enim ipsum cogebant VISCERA MISERICORDIAE, ut Fratrem, cui impossibile erat non compati vincitis in lacu fratribus, ut DEUM, qui ipsa benitas, charitas & misericordia est.

Secunda Pars Propos. itidem ex Scriptura satis liquet. Ut cum dicitur Christus mortem pro omnibus gustasse, Hebr. 2. v. 9. mortuus pro populo Job. 11. vers. 50. animam suam dedisse premium Solutionis loco multorum, Matth. 20. vers. 28. Matth. 10. vers. 45. Unus pro omnibus mortuus 2. Corintb. 5. v. 14. Receptum autem est in omni lingua, ut cum aliquis aliquid fecit aut passus est vice ac loco alterius, id pro illo passus aut fecisse dicatur. Sic apud Virgilium est.

Meliorem animam pro morte Daretis

Persolvo. Item

Unum pro multis dabitur caput.

Neque hæc Phrasis personis tantum accommodatur sed & rebus. Dicitur enim hoc pro illo dari, poni, haberi, quod ejus vice ac loco datur, ponitur, aut habetur. Displacet hæc interpretatio Socino, ac proin dicit, quod vox Pro sacerdoti utilitatem tantum alterius notet, quod de Latina absolute negari non potest, ut & de Græca ὑπὲρ, sed vocula ἄριντα est apud Matth. 20. vers. 78. & Marc.

10. vers. 45. hanc significationem planè non admittit, & commutationem requirit, sic dicitur reddi ὁφθαλμὸς ἀντὶ ὁφθαλμοῦ, ὁδός
ἀντὶ ὁδοῦ. Matth. 5. vers. 38. καὶ ἀντὶ κακοῦ Rom. 11. vs. 17.
1. Petr. 3. vers. 9. Quoties verò Personis applicatur ea particula, significat alterum successisse in locum alterius. Sic Archelaus in Iudea regnasse dicitur ἀντὶ ἡγεμόνος τοῦ πατέρος αὐτοῦ hoc est ipsi in regnum successisse. Matth. 11. vers. 22. Sic Petrus jubetur dare statuere pro se & Christo. Matth. 17. vers. 27. quia ipse unus in ea actione duorum vicem sustinebat: constrictus hic Socinus negare non audet illo ἀντὶ πολῶν commutationem quandam indicari, sed misere effugium querit. Cum de redētione agitur, inquit locus est isti præpositioni ἀντί, etiamsi captivus nihil pro redētione debeat. Verum hoc est sed præter rem. Non enim ex voce ἀντί directè inferimus solutionem; sed indē colligimus, vice nostra Christum mortuum, hoc est, nisi Christus esset mortuus, nos fuissē morituros, & quia Christus mortuus, nos non morituros morte æterna. Omnino enim vox ἀντί juncta Personæ & verbo δικαιου, requirit ut Persona in genitivo indicata, idem in genere aut specie datura fuerit, quod nunc aliis dedit. Neque refert, JURE ne, ut in nexo ob debitu, an injuria, ut in capto à prædonibus. Hoc verò posito, futurum scilicet, ut nos morte afficerimur, nisi mortuus esset Christus, solutio deinde colligitur ex ipsa rei natura. Aut enim injuria eramus morte afficiendi, aut jure; Non injuria; mortem enim commeriti eramus; Jure igitur. Si jure, eramus igitur mortis debitores, ab hoc debito liberationem nobis Christus impetravit aliquid dando. Dare autem aliquid, ut per ipsum alter à debito liberetur, est solvere aut satisfacere. Commutationem ergo illa locutio δικαιού ἀντὶ πολῶν veram indicat, ut semper, non Metaphoricam, quam Socinus sine exemplo comminiscitur.

Quamvis autem in his rectè sentiat Grotius, ex alio tamen capite miserè hallucinatus est, circa substitutionem victimarum. Ita enim in def. fid. Cath. de Sat. Christi p. 133. Lex Dei habuit hanc Sanctionem: Execrabilis est, quisquis non manferit in omnibus verbis legis; Reus ergo legis erat, quisquis vel minimum deflexisset à Lege. Sed quia Legislatori licet suam legem, præser-

tim

tim poenalem, nonnihil relaxare, Deus in quibusdam delictis victimas admisit expiatorias, vice ipsius peccatoris, & per illas non aliter peccatorem à mortis poena liberare voluit. Sic qui fidem depositi aut societatis fefelleret, aut alium dolo deceperet, aut furatus esset quipiam, reus erat inquit lex, *Lev. 5. vers. 23.* Ex edicto nimurum quod extat *Exod. 20. vers. 15.* Sed idem reus praeter damni restitutionem, ad quam tenebatur lex viictima, data expiabatur, & remittebatur ei quod fecerat. *Lev. 5. vers. 26.* Et passim conjuguntur ista in scriptura, expiatio & remissio. Ex quibus concludit; in quibusdam delictis quod ad poenam carnalem attinet, admissum fuisse placacem, redemtionem, satisfactionem, compensationem denique mortis bestiae, cum morte hominis alioqui debita. In Universum autem pro delictis omnibus, legem takem poenae carnis relaxationem non admisisse.

Verum ut dixi, mira hic sunt hallucinationes; Primo enim falsum est, quod Deus legem à se latam nonnihil relaxaverit, admittendo pro sanguine humano viictimas expiatorias. *Differentia* enim sive *relaxatio*, est actus *jurisdictionis*, quo quis in particulari eximitur à legis obligatione, & longè differt ab *absolutione* tali, quæ est à poena & culpa.

Secundo quando dicit, leglatorem Deum facultatem & libertatem habuisse dispensandi in Lege sua præsertim penali lube loquitur. Vel enim loquitur de Lege merè penali, & tam falsissimum est, quod illa Lex *Deuter. 27.* ad quam provocat, fuerit merè penalis, & quæ non obligaverit ad culpam, sed tantum ad poenam taxatam in lege sustinendam; Ut cuivis leviter tantum Orthodoxya tincto patet. Sin verò loquatur de Lege, quæ non purè penalis sit, quid opus est particula *præsertim*? hoc enim modo omnis Lex penalis est. Ut jam non dicam, tam impossibile esse, ut Deus dispensem in lege *Deuter. 27.* lata, quam non potest eximere Creaturam rationalē ab obsequio debito, quam non exuere sanctitatem suam essentialē cuius Typus erat illa lex.

Tertio quod ad victimas attinet, illæ ex sepe peccata non expiarunt, uti constat, ex Commentario V. T. illustrissimo Epist. nim. ad Hebr. ubi dicitur, quod non potuerint sanctificare conscientias,

quod Sanguis hircorum & taurorum peccata auferre nequiverit, quod peccata sub Vet. Testament. manserint, donec Christi morte fuerint expiata; Interim tamen cum Sanctificationem ipsis tribuat Leviticus intelligendum illud est non ex SE sed Typicè & relativè ad agnum N. T. immaculatum. Quo ipso tamen satisfactionem Ceremonialem & Leviticam in foro Ecclesiastico, quam verè, ut, moralem Typicè præstabant, iisdem non denegamus.

PROPOSITIO VII.

Satisfactio Christi facta est Majestati Divinæ
læsæ, per verum aliquod, reale & propriè
sic dictum precium.

Probatur Propositio primò ex Rom. 3. vers. 24. & Ephes. 1 vers. 27. & aliis locis ubi in Greco est verbum λύτεν & απολύτεν & hinc verbale λύτεωσι & απολύτεωσι. Sicut autem redemptio nihil aliud est quam nova & iterata eimitio, & rei alienatæ pro certo precio receptio, ita actum hinc concludimus justitiae commutativæ. Justitia autem commutativa, non figuratum aliquod, sed verum & strictum requirit precium: Quod ipsis Socinus agnoscere coactus fuit, quando Redemptionem definit, quod sit liberatio captivi è manibus detentis P r e c i o detentí dato: Quamvis nimis anguste, uti ostendit Grotius & Dor-schens, quorum ille Socinum sic correxit, quod Redemptio sit liberatio alicujus ab incommodo λύτεω intercedente.

Probatur eadem propositio Secundò ex 1. Corinth. 6. v. 20. Ubi dicitur ἡρεθίσθη δό την, ubi verbum ἡρεθίζει non tantum per se infert precium sed etiam ad expressiorem rei sensum πυν si-
ve precium additur, quod quondocunque verbo emendā jungitur non potest nisi veri nominis precium notare: Id quod constat ex perpetuo harum vocum significatu, & ut ipse Socinus alibi fatetur, non est nisi gravibus ex causis recedendum à proprietate verborum: quid, quod aliam significationem non admittat ipsa textus
domp

structu-

fructura? dicimus enim vi hujus emtionis asserti Christo, ut **nostri** juris non simus. Tanquam servi ergò Christo mancipati sumus, soluto pro nobis precio. Proinde sicut *jure Emtionis & venditionis*, mediante **P R E C I O**, quadam Exequatione aut compensatione, *res* transeunt ab uno ad alterum cum *translatione Domini*. Ita & nos tenebamur prius captivi per **D E I** justitiam vindicatricem, utpote per Domini Nostri Supremi & legitimi, itemque Judicis justissimi, sub potestate Ministri carceris, & Tyranni Diaboli. Christus verò exhibito pro nobis **P R E C I O**, nos à peccato & morte sibi redemit: ut ita Christo mancipati & novo quodam titulo in proprio ejus peculio simus. Adhæc accedit, quod Petrus i. Epist. c. 1. v. 19. Precium precio opponens Sanguinem Christi comparet cum *auro & argento*. Solent autem aurum & argentum esse verè premium non figurate. Quare & Sanguis Christi æque, aut multò magis verè sit necessum est. Arguit enim Apostolus ex Collatione imparium, auri & argenti, quæ in redēctione captivorum ab hominibus solent expendi, & ostendit nos precio longè majori & digniore redēmos esse, nimirum per purpuram & rosas Sanguinis Christi. Est autem precium id, *cujus Impendio res aut jus aliquod acquiritur*, definiente Hugone Grotio; eaque est precii natura ut sui Valore ac estimatione alterum moveat ad concedendam rem aut jus aliquod, puta *impunitatem*, aut liberationem ab impendente malo.

Sed contra dicunt Sociniani, non esse consequens, redēti sumus **P R E C I O** interposito, Ergò illud ipsum est **P R E C I O** propriè sic dictum; partim quia si quis diceret, se non auro & argento, sed sanguine suo, qui preciosior longè istis libertatem Patriæ redēmisse, quia pro ea depugnans, sanguinem fuderit, non idèo propriè diceret, sanguinem suum esse premium, licet aurum & argentum illud esse soleat, cum quibus comparatur; partiū quia similiter quis argumentari possit, sermo **D E I** quatenus acutus, & vim secandi habet, comparatur cum gladio *ancipi*t, tanquam aliquid acutius, *Hebr. 4*. Ergò Verbum **D E I**, gladius anceps propriè & non figuratè ita dicitur; Ergò sermo **D E I**, propriè est acutus, & secandi vim habet; partim, quia pariter quis argumentari possit, ex *Prov. 10. c. 4*. Ubi dicitur meliorem esse

nego-

negociationem Sapientiae, negotiacione auri & argenti, Ergo negotiatio sapientiae ita propriè dicitur, uti negotiatio Auri & Argenti.

Verum respondetur, & quidem Generaliter, posito quod quædam sint Exempla, vel in Sacris vel in profanis, quæ non inducant vi comparationis Precium propriè sic dictum, non tamen sequeretur illa posse opponi Exemplo præsenti; Ubi & Precii sit mentio, & insimul aliis circumstantiis ex Scriptura petitis, totum Opus ita sufficienter illustratur, ut propriè sic dictum Precium aperte notetur.

In Specie autem Respond. Si aliquis Princeps dicat, se suo sanguine non auro, & argento redemisse patriam, eo ipso innuerere, sanguinem fuisse Precium propriè sic dictum, ut enim aurum & argentum non fuit precium in tali casu, ita succedaneus sanguis tanquam longè quid præstantius precium, commodè dicitur; quo parta libertas & hostes depulsi, eoque redacti, ut Patriam liberam relinquerent, vel libertati restituerent.

Ad comparationem verbi cum gladio dicitur, nihil obstat, quo minus vere, realiter, & propriè verbum etiam sit acutum, scindens, & secandi vim habeat. Vis enim SECUNDI in præciseione accepta verè & realiter tum verbo, tum gladio competit, quamvis in contractione deinde distinguatur in facultatem penetrandi & difficiendi animas & corpora. Proprietas scissionis manet, ut termini sint distincti. Potius itaque contra Socinum possumus concludere; Ut verbum comparatum gladio ancipi, verè realiter & efficaciter influit in animam, illamque penetrat & dividit, ita & Sanguis Christi in ratione precii comparatus cum auro & argento verè & realiter influit, in liberationem generis humani.

Nec denique ultima comparatio nobis obest, ut enim argento & auro competit negotiatio quædam, qua acquiritur aliquid ita etiam verè & realiter tribuitur sapientiae negotiatio aliqua; studium nim. indagatio, conversatio, disputatio, quibus illa acquiritur, & ut aurum habet suum proventum, margaritæ suam dignitatem, ita etiam à sapientia insignis utilitas, insignis dignitas profuit, & hæc omnia præstantiora sunt, quam in auro & argento precium, et si alterius ordinis.

Illud

Illud vero itidem falsum est, quod dicit Socinus, non posse
hic verum lytrum aut precium intelligi, cum precii proprie sic di-
cti ea natura sit, ut habeat aliquam *quantitatem Corporalem* quæ
prehendi manu possit, & accipi, hanc vero Actionibus & Passio-
nibus Christi non competere posse. Hoc inquam falsum esse pa-
tet partim ex eo, quia non est necesse: ut in omni precio seu Lytro sit
quantitas Physica, sed sicut æqualitas quantitatum in Physicis
consistit in *Coincidētia dimensionum*; ita *quantitas* & *æqualitas moralis*
in actionibus satisfactoriis potest consistere in *Coincidentia meriti &*
demeriti, ut ita Physica & corporali apprehensione opus non sit. Sic
in lēfione honoris & famæ damnum rependitur secundum quan-
titatem & æqualitatem *Moralem*, culpæ scilicet Confessione, exhi-
bitione honoris, publico innocentiae testimonio, aliisque Actibus,
nec tamen horum Actuum *Valor* manibus prehendi potest.

Secundò Non factum tantum, passiones nimirum & Actiones, sed & res ipsæ tanquam precium in illa Satisfactione solutæ fuerunt. Dicitur enim Christum sanguine suo redemisse Ecclesiam: dedisse animam suam ἡγετον pro multis *Mattb.* 20. v. 28. *Marc.* 10. v. 45. Sanguis autem & anima res uti-
que sunt, quæ accipi possunt. Ita Zaleuci oculus lytrum fuit
oculi filii; & in decimatione qui puniuntur lytrum sunt totius le-
gionis. Præterea non existimandum est, solutionem Christi ἡ-
γετώπις fuisse mere pœnale, aut punitionem tantum Unius ad
impunitatem alteri consequendam, uti Grotius loquitur. Sed vel
maxime etiam reparativam damni dati. Ut enim in furto aliud
est vitiositas Actus, aliud est effectus, teste laudato Grotio de Jure
B. & P. cap. 17. lib. 2. th. 22. illi respondet Pœna, huic damni
restitutio; ita Solutio pro rapina Deiformitatis Protoplastorum
nostrorum, non fuit pœnal is saltem, sed etiam restitutio, per ra-
pinam ablati; illa vero restitutio facta est, per sangu-
inem illum, qui fuit infinitæ precio-
sitatis.

F

PRO-

PROPOSITIO VIII.

PRECIUM à Christo vice nostri Solutum, infinitum est, non ex Connotatione & denominatione extrinseca ad Personam dignificantem, sed secundum SE & ex VA-LORE intrinseco.

0.
1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.

In infinitudinem Precii in Satis factione Christi concedunt Pontificii & Calviniani, quamvis neutra pars, si verba ipsorum & mens penitus inspiciatur, Orthodoxe sentiat. Ex Pontificiis quidem nonnulli Infinitatem illam desumunt ex Infinite Sanctificationis, & dicunt, Humanitatem Christi ipsa Deitate, ut forma, Sanctificatam esse, ita ut illa Sanctificatio neque sit adoptionis, neque DEificationis per formam, quae solum sit participatio DEItatis, sicut in nobis fit, qui per formam Creatam quodammodo, hoc est per participationem DEificamur; sed ita ut sit DEificationis per ipsammet DEItatem, non quod DEItas sit forma inhaerens Humanitati, sed quod ex illa propter fundamentum Unionis Personalis derivetur in Naturam humanam, per denominationem Extrinsecam effectus quidam Moralis DEificationis, in quo ipsa DEItas tanquam forma includatur.

Alii distinguunt inter Infinitum Substantiae, quod careat Terminis Essendi seu Existendi, quibus Substantia ipsa in ratione Substantiae constituitur; & hoc vocant Infinitum in Genere Entis soli DEO proprium. Aliud vocant Infinitum in Relatione, quod dicat respectum ad aliquid Infinitum, unde sumit connotationem seu denominationem aliquam extrinsecam infinitatis; & hoc modo Actiones & passiones CHRISTI dicunt esse Infiniti valoris per respectum nempe ad Personam Infinitam & dignificantem.

Calviniani vero distinguunt inter Infinitum simpliciter & abso-

absolute tale, seu quod est sua Natura, & inter Infinitum secundum Quid, Ita sanguinem Christi non posse dici Absolute & sua natura Infinitum, cum Infinitas sit Attributum solius DEI, totissim. Trinitati commune, ac proinde de sanguine Christi dici non posse. Maresius in Syst. Theol. p. 213. ita se explicat, & dicit: Licet passiones Christi finitae fuerint in genere Entis, infinitas tamen fuisse in Genere MORIS tum ex Personæ patientis infinita dignitate; tum ex Intrinseco precii oblati Valore; quia non plus præstari potuerit, quam præstitum fuerit, & tamen si minus præstitum esset, persolutum non fuisse.

Verum hæc omnes Sententiae longissime à vero aberrant, & impie infinitatem Satisfactionis Christi enervare tentant. Περὶ τοῦ Χριστοῦ autem in hoc consistit, quod non recte sentiant de Unione Personalis, & communicatione Idiomatum, ex quo consequenter evanescunt Infinitudinem Precii, cum tamen attendere deberent, non tantum dici in Scriptura S. Christum passionem & morte sua exhibuisse Lytrum & precium, sed ipsum etiam θεανθρωπὸν sanguinem suum effusisse, se obtulisse, uti expresse constat ex 1. Tim. 2. v. 6. unus DEUS, unus & Mediator DEI, & hominum homo Christus JESUS, qui dedit precium redēptionis SEMETIPSUM pro omnibus. Emphasis addit vox αὐλαντες, quæ ibi occurrit, & notat, non qualemque Precium, quo aliquis ex captivitate, aut alio malo liberatur, sed Speciatim, cum CAPUT CAPITE, vita, vita redimitur, quæ in præsenti negotio est ipsius Filii DEI. Unde Paulus Ad Corin. 20. v. 28. ait Deum proprio sanguine acquisivisse sibi Ecclesiam. Quare si non repugnat CHRISTO esse infinitum, neque repugnabit Lytro & Precio, & si non implicat contradictionem dicere Christum etiam secundum humanam naturam in Trinitatis Confortium assūtum esse, ita ut sit ipse DEUS, etiam non repugnabit Lytro sub modo hypostaseos, illa infinitas.

Valorem autem Actionum & Passionum non solum processisse ex dignitate Personæ, cui erat humana Natura Unita, verum etiam quia Operatio erat θεανθρωπα, hoc est Dei virilis, aut DEI virique Operatio, pro nobis probat pulcherrime Damascenus. Non enim humana Natura humano modo factitabat, ut qui non homo solum, sed etiam DEUS erat, unde etiam ipsius

passiones vivificæ & salutares fuerunt, nec Divina rursus Divino modo agebat, quandoquidem non DEUS solum sed etiam homo erat, eaque etiam ratione per tactum & sermonem & alia hujusmodi miracula efficiebat. Et alibi: Non enim aut divisas Actiones esse, aut naturas distinctim Operari dicimus, verum conjunctim utramque altera socia adhibita id efficere, quod ipsi proprium; neque enim humana humano modo efficiebat, non enim homo duntaxat erat, nec Divina Divino modo non enim DEUS tantum erat. Itaque dicere; Agit Christus secundum utramque Naturam, perinde est ac si dicamus; Agit in Christo alterutra Natura, non sine altera.

Quod vero hic locum nō habeat precium ex denominatione extrinseca, & per respectum ad Personam infinitam, infinitum, patet ex eo, quia in solutione, in Emtione & venditione, non attenditur dignitas solventis aut ementis, sed Valor rei, quæ in premium datur: Neque Valor rei datæ in premium crescit ex dignitate Personæ solventis aut ementis sed ex re oblata. Quare si Rex solvat centum Imperiales, & Rusticus, non propterea accedit peculiaris dignitas solutioni Regiæ, quia centum Imperiales Rustico soluti, & que sunt centum ac Regis, sed si in ipso precio esset major Valor aut pondus tum esset disparitas. Hinc insufficienter prorsus imò male respondet Hugo Grotius ad illam Socini objectionem, qua dicebat, Personæ dignitatem nihil facere, ad pœnæ æstimationem; atque adeo divinam Christi Naturam & Summam ipsius perfectionem ad pœnæ valorem nihil posse afferre, ponderis: statuendo: Pœnam fuisse inde æstimandam, quod is qui ferebat pœnam erat DEUS, et si eam non ferebat quaDEUS. Huc Spectare illas locutiones, quibus dicatur DEUM acquisivisse Ecclesiam propriosanguine. *Act. 20. v. 28.* Quomodo & alibi Dominus gloriæ crucifixus dicatur; *1. Corinth. 2. v. 8.* Personæ quoque hoc est Christi dignitatem non parum adhanc æstimationem contribuire: atque ideo ἐμφαλικὰς in Scriptura dici, SANGUIS DOMINI, *1. Corinth. 11. v. 27.* Sanguis Christi *Hebr. 9. v. 14.* SANGUIS JESU CHRISTI FILII DEI, *1. Job. 1. v. 7.* Venire in eandem æstimationem etiam, perfectissimam Christi innocentiam ac sanctitatem. Hinc preciosum dici sanguinem, utpote agni inculpati, *1. Petr. 1. v. 19.* allusione facta ad morem non He-

Hebræis tantum, sed & gentibus receptum, ut sacris adhiberentur pecudes candore omniæ Corporis forma præstantes, quæ quod à toto grege eximerentur, inde Vocabulo nato in Sacris sed mox ad profana translato, eximias dictas fuisse. Dixi, prædictum Authorem in sufficienter & male ad Socini Argumentum respondere; Insufficienter quidem ex eo, quia, quæcunque sit sive dignitas, sive innocentia Personæ poenam ferentis nisi tantum sit in ipsa poena, quantum est in culpa & demerito, non erit poena ad rigorem justitiae Commutativæ. Quod ipsum non nescivit Grotius, quando in tract. de Jur. B. & P. lib. 2. cap. 20. th. 2. dicit, quod poenarum inflictio non possit pertinere ad Justitiam assignatricem, (quæ aliis est Distributiva,) quod primò ac per Se in ea Spectetur æqualitas inter culpam & poenam: Sed ad Expletricem hoc est Commutatiyam. Quod si vero ob dignitatem Personæ, sive alias qualitates, quæ neque ad culpam, neque ad poenæ sensum aliquid faciunt, inæquales meritis infligantur poenæ, an hic observatur *ratio æquilibrium* & accuratum Justitiae Äquilibrium? Quomodo Christus potuisset dicere, oportet me omnem Justitiam implere, si Justitiae non fuisset satis factum per accuratam bilancem Offensæ non objective saltem & extrinsece, sed intrinsece infinitæ, & Satisfactionis, itidem ex valore intrinseco Infinitæ; Si maxima Poenæ pars, imò tota ipsius infinitudo, pensata fuisset per dignitatem Personæ extrinsecam tantum. Debuit ergo hic esse Precium vere Infinitum, ut juxta veterem Canonem non plus præstari potuerit quam præstitum sit, & tamen si minus præstitum esset persolutum non fuisset.

Deinde quando Grotius dicit, quod ille, qui subiverit poenæ, fuerit Deus, et si eā non tulerit quā Deus; insidiosè loquitur, quamvis postea Virus suum satis aperte prodat: vel enim particula illa reduplicativa, quā, saltem est nota proprietatis, ostendens cui naturæ formaliter competant illæ proprietates, alteri verò per Unionem saltem, & tum verum est quod passiones illæ penales non fuerint DEI, qua DEI, cum Natura DEI mutationem non subeat, multo minus poenas sentiat; vel potest intelligi, ut sit Separativa subjecti, & tum pessima est, & negat ac evertit personalem passionis ad concretum Divinæ Naturæ appropriationem. Quamvis enim Natura Divina non potuerit pati in se & per SE,

abstracta unione, potuit tamen in propria carne, & de facto passa est, ita ut illa passio ipsius DEI passio fuerit. Ut enim non absurdum fuit DEUM nasci, Mariam DEUM parere, Finitum terminari hypostasi infinita, ita quoque non absurdum est DEUM pati, vere & proprie, & penas subire. Hujus autem fundamentum est, Arctissima Unio, & exinde resultans Communio. Ultramque probat dictum à Grotio citatum Att. 20. Si enim inter τύπον humanam & divinam naturam nulla est realis unio & Communio, quomodo DEO proprius tribuitur sanguis? Divina itaque Natura τύπον se intime communicando humanæ Naturæ hanc sanguinem Divinum fecit: Humana vero Natura in Persona τύπον realiter subsistendo cum divina simplicissime ac perfectissime communicat. Sane convenit sanguis DEO vero & æterno per aliquam ἰδιότητα & proprietatem, quæ ut ut non sit Essentialis participatio, in Sensu Eutychiano, est tamen realis & quæ intima communione perficitur. Nihil ergo causæ fuisset, ut Grotius sufficientiam precii in Sanguine Christi compleret per extrinsecum aliquem respectum, si recte de Unione Personalis sensisset, qua stante, ipsa Infinitas sanguinis & precii facile colligitur, ut haec tenus demonstratum est.

Quod deinde addit, Personæ totius dignitatem non parum ad hanc aestimationem contribuere, emphatice enim dici sanguinem Domini, sanguinem Christi, sanguinem Filii DEI, clarissimam mentem suam aperit, quam non Valorem precii Satisfactionis intrinsece Infinitum statuat? Quid enim vult illud Personæ dignitatem non parum ad aestimationem Precii illius Vicarii conferre? Annon hoc ipso ostenditur, tantum non esse in Precio ipso, quantum adæquaret rem emendam. Ut ergo defectus ille per Supplementum aliquod corrigatur accedere dignitatem Personæ. Impie sane & inepte. Quis enim non videt enervari hoc modo Satisfactionem Christi plenissimam & perfectissimam, & sanguinem Τελείωσης non Ex Se, sed ex circumstantiis extraneis non sine acceptione & favore Dei dignum fuisse, quo Deo pro nobis satisficeret.

SECUNDO Emphatice utique dicitur sanguis Domini, sanguis Filii Dei &c. Sed emphasis non consistit in hoc tantum, quod sit sanguis Personæ alicujus dignæ, sed quod ipse intrinsece sit dignissimus, quod sit vere Divinus, & infiniti Valoris. Sicut enim

enim de humana Christi natura Apostolus dicit, quod in ea habitet Universa plenitudo Deitatis, (qua divinam Essentiam & infinitam perfectionem notari ex Vocabulis ampliantibus *θεότητος*, *πνεύματος ταύτης* facile colligitur,) ita per illam *πέμψισθαι* & circummissionem intimam Universa Natura humana, & præprimis etiam sanguis verè Deificatus fuit, ut proin *εἰρηνήν*; ipsi tribuatur *Col. 1. v. 19. 20.* Opus non nisi divinæ Virtuti competens.

Quod vero de innocentia Christi dicit, quod & illa faciat ad majorem pœnæ estimationem, inane prorsus est. Innocentia enim potius facit, ut pœna sit injusta, (cum omnis pœna dicat Ordinem ad culpam,) quam ut eam elevet. Deinde aut Christus consideratur in Officio Satisfactorio, aut non; Si posterius, non potuit à Deo puniri; nemo enim innocens qua talis à Deo punitus; si prius, peccator fuit omnium maximus in conspectu Dei; dicitur enim *Job. 1.* Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ubi per tollere peccata mundi, non significatur simpliciter abolere, aut modum abolendi & vitandi ostendere, uti Socinus afferit, sed Universi Mundi peccata in se recipere, portare, uti fidejussor debitum alienum in se suscipit; item significat pœnas illis debitæ æquivalentes tolerare; Unde *1. Petr. 2. v. 24.* dicitur, quod Christus peccata nostra portaverit in Corpore suo super lignum.

Secundò Falsum oppidò est, quod innocentiae tantum Intuitu, & non multo potius Satisfactionis indicandæ Causa, Agni appellatio Christo tributa fuerit. Nam agnorum in V.T. pro peccatis tum Ordinaria & quotidiana, tum extraordinaria & singularis oblatio adumbrabat satisfactionem Christi, tanquam primarium & Evangelicum beneficium. Innocentiae & puritatis in illis pecoribus obvia moralia secundum quiddam erant, etiam extra illam oblationem obvia. Id quod diserte probat Petrus quando Agno illi tribuit *λύτεων ἐν τῆς μαρτίας ἡμῶν ἀναστοφῆς*, & insuper illam agnina liberatem & solutionem non esse factam Corruptilibus rebus Argento vel Auro. Ubi comparatur liberatio per Christum agnum, & liberatio per Corruptilia, in Generi Veræ & perfectæ Redemtionis, ita quidem, ut sicut in Redemptione, quæ fit Corruptilibus, vera interveniente Precio fit liberatio, ita etiam in Redemptione, quæ fit à Christo Agno liberatio fit, precio interveniente.

PROPO-

PROPOSITIO IX.

Satisfactio Christi fuit secundum omnes conditiones rigorosæ solutionis, & ad æquilibrium justitiae Commutativæ.

Vult Propositio, quod sicut in restitutione alias resarcitur damnum illatum in bonis, quantum datum est, ita per Satisfactionem hic tantum exhibitum, quantum Satis erat ad exactam injuriæ compensationem. Neque hic tantum locum habuisse Satisfactionem ex Condigno ad promerendam liberationem nostram, uti censet Gabriel Vasquez, quæ locum habere solet in justitia illa Generali & vocatur ab Hug. Grotio & aliis Aptitudo, ab Aristotele *δικαια* dignitas, à Michaeli Ephesio τὸ *περισσωπόν* & τὸ *πέπτον*, sed exhibitam illam fuisse à Christo læsæ Majestati divinæ ex justitia proprie sic dicta, servatis ad unguem, & secundum rigorem legibus omnibus & requisitis, quæ alias ad quamvis Offensæ & injuriæ Satisfactionem justitia proprie dicta exigit.

Probatur autem Assertio clare ex Epist. Rom. 3. ubi Apostolus ait, quem Christum proposuit DEUS *ἰλασίειον* ad demonstrationem justitiae suæ. Atqui ad demonstrationem justitiae, quæ non esset ex rigore, quæ non reduceret inæquale ad æqualitatem, & consequenter esset imperfecta, non necesse erat proponere Christum. Potius ita ostenderetur, quantum Deus cesserit de jure suo, sumendo quid pro quo, ut in ex haustis debitoribus contingit.

Prob. Secundò, Ex requisitis Conditionibus, quæ in Satisfactione ex justitia rigorosa esse solent; quarum prima est, ut Satisfactione exhibeat ex Bonis propriis Satisfacere volentis, & non ex gratis acceptis, ab ipso cui restitutio facienda. Nam si quispiam non esset solvendo, & ipse creditor ex affectu misericordiæ aut ei aut alteri, qui in locum debitoris succedit, donaret tantum auri, quantum satis esset ad restitutionem danni, talis solutio

Iutio neutiquam esset ex rigore justitiae; quin potius haberet rationem gratuitæ condonationis, & remissionis.

Probatur autem hæc conditio, quia sicut Persona satisfaciens fuit Deus & homo, ita actiones & passiones effectum habuerunt non creatum sed Divinum, illiminatum, independentem, imò ipsæ fuerunt Divinæ, illimitatae, independentes, in genere Entis. Neque instari potest, ab Operibus humanæ naturæ, nam & illa non saltem effectum habebant humanum, sed etiam Divinum, idque ob Unionem hypostaticam, & communionem, intimamque naturarum οὐχιών. Ita enim Concil. Calcedonense. Quicquid agit aut patitur Christus, id non solum agit Deus, non solum homo: non solum patitur Deus non solum homo. Seu quod idem est, non solum Divina, nec sola humana Natura agit & patitur, sed utraque Natura agit & patitur quidem, quod suum est, sed cum communicatione alterius. Non enim aut divinæ actiones fuere, aut naturæ distinctè operatae sunt, sed conjunctim utraque Socia adhibita, ut supra etiam dictum.

Secunda Conditio quam assignant Doctores & exposcit Satisfactionio ex rigore, est, ut exhibeatur ex Bonis quæ ita sint propria satisfactoris, ut in eas nullum habeat Dominum, cui exhibenda Satisfactionio. Nam si solvat aliquis ex bonis, quorum Dominium pertineat ad creditorem, minus sufficiens esset solutio, ac proin non posset dici ex rigore justitiae. Hæc conditio probatur, quia sicut Persona τε λόγος non fuit sub Dominio Dei, ita nec naturarum Operations, Divinæ nimirum & humanæ. Quod enim Divinæ habuit Essentialiter & per Se, id humana natura habuit per Unionis gratiam. Et sicut valor talium Operum à Deitate processit, ut infinitum pondus largiente, ab humana verò ut Deificata, hinc est, quod nullius Dominio subjectæ erant istæ Operations, ne partiali quidem, uti somniat Capreolus, multò minus totali, uti Gabr. Vasquez.

Tertia Conditio est, ut fiat ex non debitis alio titulo, ipsi creditori, vel quæ non possint exigi à creditore alio titulo. Nam si quis Cajo deberet centum aureos numimos uno titulo, nempè Emitionis, & haberet Equum, qui valeret centum, illum tamen deberet dare eidem Cajo alio titulo, aut Causis jure posset illum exige

G

gere

70
69.
68.
67.
66.

6
59
58

gere & accipere sibi , non posset Cajo solvere debitum illud censem aureorum,dando equum, sic enim aut nihil de suo daret,cum illud esset debitum alio titulo , aut intercederet condonatio creditoris. Atque hæc conditio facile probatur. Vel enim opera Christi fuissent debita D E O , ex Jure creationis , & conservationis , aut alio titulo ; non ex creatione , ipse enim est Creator , etiam secundum humanam naturam , per κοινωνίαν τὸν Ιησοῦν in primo genere communicationis Idiomatum ; est Conservator omnium item secundum utramque Naturam. Sicut enim Pater operatur , ita & ipse , teste ipso Job . 5. vers. 17. Alius autem titulus singi non potest.

De quarta conditione ut sit ad alterum , supra actum.

Nihil verò detrahit rigori hujus satisfactionis , quod liberum D E O fuerit admittere eandem , aut non admittere ; ut nonnulli falso opinantur. Talis enim admissio aut acceptatio non est necessaria ad augendum valorem & dignitatem satisfactionis , sed quia fieri debet per modum contractus , qui , etiamsi justum premium accedat , non nisi mutuo consensu celebrari potest , & perfici. Verbi gratia , cum quis habet captivum jure belli , non cogitur illum manumittere , etiamsi servus justum premium pro sua libertate offerat , vel alius pro eo , neque ab ullo Dominus ad hoc obligari poterit , ut servum illum libertate donet , quousque ipse cum eo paciscatur , de libertate pro justo precio emenda. Si tamen pactum accedat , redemptio fiet ex rigore justitiae justo precio oblato , quia pactum non fuit necessarium ut angeretur valor rei , quæ pro precio offerebatur , sed ut perficeretur contractus.

Quod verò Vasquez dicit , non esse in D E O justitiam quæ sit pars quædam commutativæ , in resarcendis nimirum & vindicandis injuriis , cum materia propria hujus justitiae sit D A T U M & A C C E P T U M , dare autem & accipere , non reperiri inter hominem & D E U M , cum homo D E O dare nihil possit , nec D E U S indigeat , aliqua re extra se : atque exinde concludit , nec Christum potuisse ex Justitia propriè sic dicta satisfacere D E O , per Opera humanitatis ; aperte offendit , quam non longè ipse & complices absint à Socinianismo. Si enim Christus non satisfecit secundum justitiam rigorosam , tum etiam dicendus erit non satisfecisse

fecisse secundum æqualitatem absolute & simpliciter. Si hoc, nulla erit dignitas in tali satisfactione, nulla perfectio, sed magna debiti pars per benevolum Dei favorem condonata erit Satisfactori. Denique nulla erit sapientia in remedio hoc redimendi genus humanum, cum longè sit improportionatum, longè insufficiens, ad finem præfixum.

Deinde si illud DARE & ACCIPERE intelligatur de datione & acceptione cum mutua utilitate & Dominiorum translatione, invenietur id quidem in humana justitia, & fortasse non semper sed frequenter: Per SE tamen & formaliter id non spectat ad rationem justitiae commutativæ, ut rectè observat Franciscus Suarez. Ita ergo datum & acceptum intelligendum, quod requiratur commutatio aliqua seu exhibitio alicujus actionis vel passionis ex parte utrinque extemi, seu Personæ, ut verum Jus justitiae inter eas interveniat. Iстiusmodи autem locum habuit inter DEUM & Christum.

Nec Secundo obstat quod idem Vasquez dicit: Nullum esse peccatum quod sit propriè injustitia contra DEUM, ac proin nec compensationem aut satisfactionem necessariam esse, quæ sit ex Justitia propriè ita dicta.

Item: de ratione justitiae commutativæ esse repassionem seu contrapassum, hoc est, ut qui ex hac justitia aliquid conferat alteri, hoc ipso patiatur aliquid mali, vel onoris sustinendo, vel saltem dominio illius rei, quam præbet alteri se privando, hoc vero de DEO fingi non posse. Non obstant, inquam, hæc, non primum, quia gratis supponitur non dari injustitiam adversus DEUM. Nam si Justitia commutativa, quam maximè in eo consistit, ut Jus suum cuique tribuatur, consequens utique est, si DEO denegavimus jus illud in rapina Deiformitatis, nos peccasse contra illam justitiam. Quamvis autem per eam rapinam non facta fuerit laesio boni utilis DEO, fuit tamen laesio & privatio juris debiti. Non secundum, quia repassio seu contrapassum, formaliter loquendo, solum est de ratione justitiae commutativæ hoc sensu, quod tanta debet esse retributio unius, quanta fuit Operatio alterius, & quidem sicut retributio procedit ab uno ad alterum, ita necessum est, ut opus alterius fiat cum aliquo respectu alteri pro-

portionato , tam in retributione præmii , quam in vendicatio-
ne pœnæ. Quod verò talis repat̄io fiat per privationem domi-
ni , per accidens est , & in humanis contingit.


Non denique quod idem Socinianizans Jesuita objicit , dicens :
Si res eadem quæ in Specie debebatur non reddatur Domino suo
aut Creditori , inæqualitas ad æqualitatem non videtur reducta ,
ac proin neque rigor justitiæ commutativæ fuit observatus. Æ-
qualitas enim ipsa justitiæ exposcit , ut res illa & non alia , etiam ejus-
dem valoris Domino aut creditori reddatur , nisi ipse velit cede-
re de JURE suo. Nam alioquin non esset res illa in Specie ex ju-
stitia debita Domino.

Falsum enim est , si eadem res quæ debebatur , non reddatur Do-
mino quod inæqualitas ad æqualitatem non reducatur. Sicut enim
æqualitas est Quantitatum , ita si in Quantitate tantum reddatur ,
quantum quis debet , inæqualitas utique reducta est ad æqualitatem.
Identitas autem pertinet ad substantiam rei , quæ nullum pondus
aut valorem expresse infert , sed tantum dicit , quod res sit in SPECIE ,
quæ sit. Quare non obstat æquilibrio Justitiæ commutativæ , aut ex-
pletricis , si non idem reddatur , sed solum æquale aut Tantundem ,
nec potest Dominus dici cessisse de jure suo , quantum ad rei pre-
cium. Quantum verò ad rei Speciem , ipsi concedimus quod in
Satisfactione Christi benevolus DEI favor , temperamentum Mi-
sericordiæ & justitiæ intercesserit. Sed hoc non est cessio propriè
de jure suo , uti diximus , cum illa fiat per modum gratiosæ acce-
ptationis , condonationis debiti quoad magnam ejus partem , aut
per semiplenam Satisfactionem aut solutionem. Verum sicuti fi-
dejussor aut Sponsor verè solvit , si tantundem reddat quantum
debuit principalis debtor. Ita verè Christus solvit pro debito
generis humani exhibendo omne id quod erat in obligatione quan-
tum ad rei SUMMAM. Disciplina enim pacis nostræ super eum
fuit , & livore ejus sanati sumus. Esai. 53. v. 5. Disciplina autem
exactionem debiti , secundum rigorem justitiæ commutati-
væ significat , vid. B. Dn. Hülsemann. Brev.

cap. 7.

SOLI DEO GLORIA.














VIRIS
que libera S. R. I. Republica
LMENSI
S, PER QUAM- GENEROSIS,
IFICIS, MAXIME STRENUIS,
mis, Prudentissimis,
DOMINIS
UMVIRIS,
NSULIBUS
atque
NATORIBUS,
IS, PATRONIS ET
MÆCENATIBUS
am gratosis, & maximopere
colendis.

VIRI